



DE

# SINGULARI QUADAM VERBI PERIPHRAZI

APUD SOPHOCLEM OBLATA.

SCRIPSIT

**Dr. M. BÖTTGER.**

BEIGABE ZUM OSTER-PROGRAMM DES FRIEDRICH-WILHELMS-GYMNASIUMS  
ZU KÖNIGSBERG I. D. N. 1879.

---

KÖNIGSBERG I. D. N.

DRUCK VON J. G. STRIESE.

1879.

1879. Progr. Nr. 70.



Modesto tamen et circumspecto iudicio de tantis viris pronuntiandum est, ne, quod plerisque accidit, damnent quae non intellegunt. Ac si necesse est in alteram errare partem, omnia eorum legentibus placere quam multa displicere maluerim.

*Quintilianus.*

Sophoclis septem tragoedias, quae supersunt, paene integras mendisque puras esse arbitrati superiores viri docti nihil aliud fere quam fabulas summi poëtae admirati sunt eiusque verba interpretati defenderunt: et tantum aberat, ut codicum lectionibus mutandis studerent, ut contra saepe nimii essent in iis conservandis. Sed novissimis temporibus de Sophoclis tragoediis editores et interpretes aliud et sentiebant et indicabant: namque ex quo C. G. Cobetus Aeschyli et Sophoclis, quotquot exstant, librorum manu scriptorum unum et communem fontem esse Laurentianum codicem bibliothecae Florentinae plutei XXXII, 9, qui notatur La, saeculo, ut videtur, ineunte undecimo scriptum in oratione de arte interpretandi Lugduni Batavorum anno millesimo octingentesimo quadragesimo septimo edita docuit, eumque ex parte secutus G. Dindorfius, vir summo ingenio, codicem illum Laurentianum denuo collatum cum summo paene omnium consensu, qui curam in Sophocleas fabulas impendunt, sive antiquitatem sive bonitatem spectes, primum esse comprobavit, de iudicando Sophocle eiusque textu recensendo magna est rerum et animorum commutatio facta. Quo ex tempore, cum in dies melius intellegeretur Sophoclis textum multis et turpissimis vitiis inquinatum ad nostram aetatem pervenisse atque etiam eius, cuius de singulari praestantia convenit, codicis verba corruptissima servata esse, multi exstiterunt, qui haud paucos Sophoclis locos dubitationem movere et emendationis indigere contenderent. Quo factum est, ut nostra aetate viri docti tota arte critica, quae in addendo, demendo, mutando cernitur, usi multa proferrent, quibus efficeretur, ut loci in suspicionem vocati emendarentur et in pristinam integritatem restituerentur. Neque potest negari illos, qui verba poëtae a corruptelarum sordibus iudicando purgare conati sunt, hoc cum magno litterarum emolumento fecisse: nam acumine ac sollertia eorum si minus omnes, at aliquot loci, quoad eius fieri potest, emendati vel expoliti sunt. Neque vero omnes, qui Sophocleo textui, qualis ad nostram memoriam propagatus est, medicinam adhibebant, digni sunt, qui laudentur, quorum permulti, ut ita dicam, tantum furore, quo impellebantur, ut aliquid conicerent, processerint, ut firma neque ullo modo commovenda temere tentarent mutarentque vel lacunas et interpolationes nulla re cogente statuerent, denique egregias principis tragico-

rum fabulas sua verba inculcantes inquinatiores quam integriores redderent. Atque proximis quidem temporibus huius rei non modo periti, sed imperiti homines in corrigendis, mutandis, mutilandis Sophoclis verbis ita elaborarunt, ut quae a Bentleio vocatur prava emendaturientium prurigo, ea in hunc poëtam grassari videatur.

Quae cum ita sint, gaudeo quod tandem nonnulli iique doctissimi viri in eos, qui cum non intellexerent, quot quantasque dubitationes et cautiones emendatio Sophoclearum tragoe-diarum haberet, re non satis examinata verba poëtae audacius ac licentius permutabant, acer-bius inveci sunt, ut M. Hauptius, Aug. Meinekius, L. Spengelius, B. Arnoldius, R. Schneiderus, G. Kernius, C. Krusius, J. Kvičala, alii. Qui quid de ea, quam his temporibus de interpre-tando et emendando Sophocle plerique inierunt, ratione sentiant, hoc loco exponere mihi liceat. Et copiosius quidem quae illi de hac re scripserunt explicanda puto, quo melius cognoscatur iam summum tempus esse artem criticam in ea, quam ingressa est, via subsistere et in veram rationem redire.

M. Hauptius, vir summo sane totius rei criticae usu ac prudentia insignis, quo mor-tuo nuper cum universa, quam vocant, philologia tum id ipsum, in quo quasi habitare et re-gnare videbatur, studiorum genus, ars critica, iacturas gravissimas fecit, in ind. lect. per sem. aest. habendarum MDCCCLXV p. 3.: Coniecturam, inquit, prolaturi sumus de versu quodam Electrae Sophocleae. Quidni enim nobis quoque liceat aliquid addere illis opinationum acervis, qui nuper saluberrimo consilio in uno conspectu positi sunt? etenim plurimis exemplis in angustum spatium congregatis tandem aliquando manifestius factum est, quam facilis sit ars illa critica, quam olim timidius mortalium genus difficillimam esse indicabat, et quantillo di-scrimine a suavi et iocoso lusu distet. et perrexerunt viri ingeniosi et Mercuriales ludere et struem illam exaggerare. nimirum multo hodie quam olim latior patet campus, in quo et vires quisque suas exerceat et ludendo ducat sollicitae iucunda obliviae vitae. olim prisca illi homines et mente tardiores veterum scripta antequam emendare tentarent, intellegere anxio quodam et illiberali studio allaborabant: nunc multi a Terentio didicerunt facere aliquem posse intelle-gendo, ut nihil intellegat, ideoque sordidum illud ac periculosum intellegendi studium cautissime devitant et tutiori se atque gloriosiori emendandi negotio totos tradunt. Et alio loco<sup>1</sup> idem vir doctus, ut ad Sophoclis Electram ineptiis, quibus nostra aetate cum reliquis summi poëtae tragoediis paene oppressa esset, liberandam aliquid conferret, lepidissime scripsit olim apud Chattos ut quis primum adolevisset, crinem barbamque eum submisisset neque nisi hoste caeso votivum obligatumque virtuti oris habitum exuisse seque tum demum pretia nascendi rettulisse dignumque patria ac parentibus existimavisse; nostris vero temporibus vel imberbes, si aliquot versiculos veterum poëtarum trucidassent, votum solvisse tirociniumque posuisse iudicari et doctis fortibusque viris ascribi. Atque ea quidem sententia Hauptii: neque aliter Mei-nekius, virum non minus recto et subtili iudicio, sensisse video. Qui in Praef. ad Oed. Col.<sup>2</sup> p. V complures se causas impulisse, ut de Sophocle scriberet, dixit; inter quas eam non levissimam fuisse, quod novissimorum criticorum non paucos illam viam ingressos esse vi-disset, qua si perrexissent, brevi futurum esset, ut Sophoclem in Sophocle quaereremus. Tam

1. Ind. lect. per sem. aest. habendarum MDCCCLXV p. 5.

2. Sophoclis Oedipus Coloneus cum scholiis graecis edidit et annotavit Augustus Meineke. Berol. 1863.

nullam esse veterum monumentorum reverentiam, tam effrenatam plurimorum in transmutandis poëtae verbis audaciam. Huc quoque referendum est illud Spengelii, hominis peracri ingenio:<sup>1</sup> Vergleicht man die neuere Zeit mit der früheren, so muss man gestehen, wir deutschen Philologen sind wahre tragische Fortschrittmänner geworden; die Engländer hatten vor Zeiten einen Burges, wir haben sie zu Dutzenden. So lesen wir haarsträubende Verbesserungen zur Antigone im Philol. XV, 690—712. Es ist aber nicht leicht, einem zu rathen, offen gegen solche Verbesserer aufzutreten; das mindeste, was man einem solchen Reactionäre zurufen würde, wäre, dass er den Geist des Dichters nicht verstehe, sich in dessen Denk- und Rede-weise nicht hineingelebt habe, dass er als Idioten in der Sache nicht Sitz und Stimme habe. Und so muss man diesen pruritus als das ansehen, was er grossentheils ist, als das Übel einer epidemischen Krankheit — Conjecturalfieber — welches wie so vieles andere die Zeit hoffentlich bald heilen wird, damit Besseres und Erspriesslicheres zum Vorschein komme; vor der Hand wird es nicht schaden, auf eine ordentliche Exegese mehr Werth zu legen und die Dichtersprache besser zu erlernen, nicht jeden Ausdruck sofort als undichterisch und ungriechisch zu verwerfen, um, wenn man ihn mit tagtäglichen ersetzt hat, sich rühmen zu können, man habe den Dichter verbessert. Die heutigen Kritiker beginnen alles in pure Prosa aufzulösen. Neque temere, sed certa necessitate iustisque causis et rationibus adductus Spengelius multitudinem eorum, qui his temporibus criticos se profitentur, mea quidem sententia reprehendit, quippe qui, ne cui sine probabili causa videretur illud dicere, testes protulerit cum Heiglium, qui in libello quodam coniecturarum pleno ex Antigona versibus mille trecentis quinquaginta duobus non amplius mille ducentos sexaginta censoria quadam virgula notare non dubitasset, tum multos, qui temperare sibi non potuissent, quin Heiglium imitati multas, ne dicam innumerabiles coniecturas facerent. Atque magnopere sane, quod cum Hauptio, Meinekio, Spengelio faciunt, laudandi sunt Arnoldius,<sup>2</sup> Krusius,<sup>3</sup> Schneiderus,<sup>4</sup> Kernius,<sup>5</sup> Kvičala.<sup>6</sup> Sed longum est de singulis dicere: satis est promere, quae Krusius, vir litteris eruditissimus, ad exagitandam temeritatem levitatemque criticorum coniciendi studiosissimorum profert. Qui, ut eius ipsius verbis utar, acerbe quidem, sed commode: Unter den Philologen der Neuzeit, den jüngeren zumal, ist eine Conjecturenmanie epidemisch, von der man kaum noch behaupten kann, dass sie wenigstens Methode habe. Schömanns goldener Spruch: ‚Prisquam saltare velis, ire te discere decet‘ gilt nicht mehr, denn Doctordissertationen und sonstige Jugendschriften ergehen sich in höchst verwegenen Emendationen; et alio loco: Eine der neuesten Ausgaben der Antigone bedarf 200 Änderungen, ein Kritiker schmückt seinen Dichter von der 4. bis zur 5. Edition mit 300 Emendationen, und wie viele Tausende in den beiläufig 300 Schriften, die über Sophocles in den letzten 10 Jahren erschienen sind, enthalten sein mögen, wage ich auch nicht annähernd zu schätzen.

1. Eos I, 1864, p. 180 sqq.

2. Arnold, Sophokleische Rettungen, München 1866.

3. Kruse, Programm Greifswald 1875.

4. Schneider, Zeitschrift für Gymnasialwesen, Juni 1878, p. 118 und 119.

5. Kern, Zeitschrift für das Gymnasialwesen, Mai 1878, p. 319—321.

6. Kvičala, Sitzungsberichte der Kaiserlichen Akademie der Wissenschaften, Wien 1864, p. 391 und 392.

Ex his, quae exposui, iam non potest dubium esse, quin in iis, quae sequentur, hoc maxime operam daturus sim, ut illa, quae dixi, vitia evitem. Primum igitur numerum coniecturarum vixdum numerabilium non angebo unquam nisi necessario, deinde hoc potissimum spectabo, ut locorum aliquot fidem a criticis et grammaticis impugnatam restituum. Cum vero interdum accidat, ut difficile sit diiudicare, utrum poëta insolenter scripserit<sup>1</sup> an librariorum culpa aut alia de causa in libros manu scriptos vitia irrepserint, ubi verba Sophoclis aliquid offensionis videntur habere, non statim ad coniecturas faciendas perflugiam, sed quam ratione lectio tradita defendi possit considerabo, et primum quid omnino a Graecis, deinde quid cum a poëtis tum a Sophocle dici potuerit, quid non potuerit, recte ubique examinabo. Semper autem a libro Laurentiano, optimo certissimoque fundamento, proficiscar; iis tamen locis, ubi lectiones eius nullo modo ferri possunt, etiam Parisinum A et Florentinum I in disceptationem vocabo;<sup>2</sup> si horum quoque scripturae utique intolerabiles sunt, neque levi litterarum mutatione explicari possunt, facere non potero, quin difficultatibus coniectura removendis operam dem. In quo periculum faciam, selegi aliquot locos ex septem Sophocleis fabulis petitos eosque sic comparatos, ut omnes ad eandem regulam revocari possint et eadem similive ratione vel explicari vel, si vitii insimulati sunt, defendi possint. Neque vero scribam nisi de iis locis, in quibus poëta phrasim e verbo et substantivo in quarto casu posito constantem cum obiecti accusativo ponit, quasi non phrasi illa, sed verbo, cuius vice phrasis fungitur, utatur; ad quos adiciam hos tantummodo locos, qui cum accusativum, quem alii verbalem, alii immanentem, alii obiecti interioris vocant, saepissime apud omnes Graecorum et poëtas et scriptores oblatum contineant, cum illis locis comparantur, ne dicam miscentur et confunduntur. Atque hos quidem locos quod ex Sophoclis fabulis sumpsit explicandos, neminem fore spero, qui me reprehendat, cum de iis eorumque ratione varias doctorum virorum esse discrepantesque sententias constet. Quodsi his studiorum primitiis aliquid attulero momenti ad unum tantummodo ex iis locis melius quam antehac factum est explanandum et hoc effecero, ubi dubitationi est aliquis locus, scripturam traditam vel servari posse vel servandam esse, toto pectore gaudebo atque laetabor. Neque vero is sum, qui me plane nova proferre credam: sed potius multa iam viri doctissimi de hac re non sine magna doctrina et insigni ingenii acumine investigarunt, exquisiverunt, elaborarunt. Quae cum ita sint, quidnam potuit me commovere, ut numerum eorum, qui in hac re curam operamque collocaverunt, augerem? Cuius rei, ut paucis respondeam, causae sunt complures: una, quod interdum ipse novi aliquid afferre posse mihi videor; altera, quod quin iis gratum facturus sim, qui Sophocli operam dant, non dubito, si quae de hac re viri docti partim in editionibus fabularum Sophoclis monita, partim in singularibus commentationibus exposita, partim in libris ad rem grammaticam pertinentibus explanata protulerunt, hoc loco collecta proponam diligenterque perpendam; tertia, quod summa interpretum, editorum, grammaticorum de hac re dissensio est; quarta, quod quae in librorum editionibus breviter tantum tangi possunt, ea ad totam rem melius illustrandam accuratius pluribusque verbis explicari videtur necesse esse.

1. Cf. Meineke, Sophoclis Oedipus Coloneus, v. 1653.

2. Quamvis Laurentianus codex auctoritate praevaleat, tamen nonnullis locis Parisinus, qui compendio A indicatur, et Florentinus, qui I littera signatur, meliora praebent. Cf. Müller, Emendationes Sophocleae, Progr. Wongrowitz 1876, p. 2.

Sed priusquam ad exempla ipsa, de quibus disserere animum induxi, propius accederem, de Sophoclis et universo dicendi genere et accusativi liberiore usu, et de iis, quae viri docti de ea re protulerunt, pauca praefari mihi visum est.

In iis rebus, quibus Sophoclea carmina Aeschyleis antecedunt, praeter ceteras dictio atque oratio numeranda est, quam princeps tragicorum ita conformavit, ut verae tragoediae dignitati conveniret. Aeschyleae enim orationis pompam et tumorem, quem ab arte ac natura abhorreere videbat, sapienter temperavit, ut orationem pro ea, quae personis eius ab Aeschyleis longe diversis erat, natura, propius ad sermonis familiaris consuetudinem adduceret. Qua in re tantum abest, ut unquam tragoediae maiestatem et dignitatem violaverit, ut aptissime medium iter inter quotidianum sermonem et Aeschyli magniloquentiam verborumque granditatem semper tenuerit. Sed etsi Aeschyleam pompam, cuius propria sunt sententiae atque verba cum translatione usurpata et magna copia novatarum vocum semper orationem quodammodo obscurantium, reliquit eximiamque orationem finxit, qua omnia maxime perspicua ac plana redderet: valde tamen errant, qui specie simplicitatis decepti orationem ad intellegendum facillimam ducant. Immo vero saepissime magnae difficultates occurrunt, quae interdum vel propius ad eam obscuritatem accedunt, quam vix ad liquidum perducere possis: quae difficultates non magis e conformatione sententiarum quam e verborum constructione et syntaxi libera manant. Quamquam igitur nullus Atticorum poeta Sophoclem apta verborum compositione atque emendata oratione aequiperat, hoc certe nemo it infitias, multos locos apud eum inveniri, in quibus ille novas verborum structuras invenerit et liberiore ac dissolutiore vocabulorum constructione usus a severioribus dicendi legibus et praeceptis grammaticorum recesserit: <sup>1</sup> quod ex iis ipsis, quae Struvius in eo libro, <sup>2</sup> qui inscribitur De dictione Sophoclis, de insolenti verborum cum accusativo compositorum usu ac ratione, de verbis insolentius cum genetivo connexis, de verbi usu et anomalia, de aliis rebus exposuit, facile cognosci licet. Quibus rebus factum esse non miror, ut Meinekius <sup>3</sup> apud Sophoclem huiusmodi verba inveniri obtineret, quae nisi ab eo, qui in summa dictionis elegantia et suavitate novitatis tamen ad vitium usque studiosus esset, dici non potuissent, et Hermannus, <sup>4</sup> vir singulari ingenio ac paene divino, artificiosam Sophoclis orationem in molestam quandam implicationem atque intricacionem vertere contenderet, ex qua interdum difficile esset eruere, quid sensisset scriptor, interdumque iam in illam partem inclinare, quae propior esset vitio. Atque huius rei causam cum quaererem, quidnam esset, cur Sophocles insolentius interdum dixisset liberiorique dicendi generi studuisset, complures inveniebam causas. Primum enim multum ad eius orationem liberius conformandam hoc valuit, quod poeta et auditores sibi facere attentissimos et efficere in animo habuit, ut qui audirent summa animi intentione, quid ipse sentiret, diligenter et accurate examinarent. Quod cur intenderit, facile perspicitur. Athenienses enim Sophoclis temporibus cum iam quantam vim ut accurata, ita facta et artificiosa oratio haberet intellegerent, difficilioribus et subobscuris verbis gaudebant, <sup>5</sup> trita et vulgaria respuebant, tum demum vel poetam vel

1. De oratione Sophoclea cf. Ofr. Müller, Geschichte der griechischen Litteratur II, p. 138 sqq.

2. Struve, De dictione Sophoclis, Berol. 1854.

3. Oed. Col. v. 1653.

4. Cf. Herm. Praefatio ad Trach. ed. III. p. XI.

5. Cf. Benloew, De Sophocleae dictionis proprietate, Par. 1847, p. 15.

oratorem probabant, cum et mente praecurrere cogitationesque eius occupare et quidquid audiebant animo percipere dialecticoque quodam acumine quasi dissecare et dissolvere per eum licebat. Itaque maxime eam dicendi rationem amabant, quae res magis significando quam explicando exprimeret, ut interiori sententiam magis coniectura assequi possent quam aperte statimque pernoscere. Unde duae res, quae Sophocleae dictionis propriae sunt, fluxerunt: verborum quaedam ambiguitas et syntaxis anomalia.<sup>1</sup> Praeterea Athenienses, quae erant novandi libidine, novitate quadam sermonis raroque dicendi genere delectabantur. Quapropter poeta, ut talibus civibus morem gereret, cum vulgaria vocabula nove et significanter usurpabat tum dictioni audaciore vel nova verborum constructione et sententiarum iunctura conspicuae studebat. Addendum est, quod Sophocles, quamquam orationem propius ad sermonis familiaris consuetudinem adducere cogitabat, tamen artificiosam suam dictionem a vulgari sermone aliquantum differre volebat: hac quoque re factum est, ut docta Sophoclis ars insolentiores constructiones pervulgatis praeferret.<sup>2</sup> Sed ad has quasi in poeta ipso eiusque temporibus positas causas, quae ad orationem eius liberius ac licentius formandam haud dubie multum valuerunt, alia causa eaque gravissima accedit, in Graecorum gente eiusque ingenio atque indole sita. Graeci enim, homines mobili vegetoque ingenio, qui quidem, quidquid cogitabant vel agebant, libertatis, ne dicam licentiae amore incensi erant, ut etiam libertatem licentiamque dicendi et scribendi sibi sumpserint ex rei ipsa natura sequitur. Quam licentiam cum apud scriptores tum apud poetas Graecorum multo effusiolem fuisse quam apud Romanos inter omnes constat. Atque hac potissimum ex re, quod Romani, ut erant multo severiores Graecis, sibi ne dicendo quidem indulgebant, intellegi posse arbitror, cur apud Romanos scriptores insolentiores constructiones rarius inveniantur quam apud Graecos.

Atque haec quidem, quae de dictione Sophocleae disputavimus, vera esse cum universae syntaxis Sophocleae tum casuum syntaxis ratione habita nemo non videt. Maxime vero accusativi usus Sophocleus videtur huc spectare. Quem casum poeta ut saepissime insolenter cum verbis ponit,<sup>3</sup> ita insolentissime et quam longissime a vulgari sermone recedens, id quod iam supra in transitu commemoravimus, cum duobus vocabulis iungit, quibus id exponitur, quod verbo transitivo dici potest. Exempli gratia profero Oed. Col. 583 sq.

τὰ λοιπὸν αἰτεῖ τοῦ βίου, τὰ δ' ἐν μέσῳ  
ἢ λῆσθιν ἴσχεις ἢ δι' οὐδενός ποιεῖ.<sup>4</sup>

Quibus in versibus accusativus τὰ ἐν μέσῳ a notione verbi ἐπιλανθάνεσθαι pendet, pro quo Sophocles cum ornatu quodam orationis et gravitatis cuiusdam causa duas voces λῆσθιν ἴσχεις substituit.

Neque pauci sunt loci, in quibus poetam eadem verborum structura usum esse pro explorato equidem habeo, quamquam interpretes nonnulli iique summae auctoritatis refragan-

1. Struve, De dictione Sophoclis, Berol. 1854, p. 11 sq. Otrf. Müller, Griechische Litteraturgeschichte II, p. 138 sqq. Thukydides III, c. 38.
2. Cf. Schneidewin-Nauck, Sophokles, I. Bd., 7. Auflage, p. 33—35. Nicolai, Griechische Litteraturgeschichte I, p. 83.
3. Struve, De dictione Sophoclis, p. 31 sqq.
4. In Sophoclis locis preferendis quos Nauckius constituit numeros sequor, in Euripidis notandis locis ad editionem a Kirchhoffio adornatam me accommodo, versus Aeschylis ex Hermanni editione afferro.



tur. A quibus hoc contra dicitur, tale dicendi genus dictione Sophoclis ita alienum esse, ut plurimi locorum huc pertinentium culpa librariorum vitium traxisse existimandi sint. Iam ut ab eo incipiam, cuius de hac re sententiis primum adductus sum, ut huic quaestioni operam darem: quid Reisigius, quo pauci rerum grammaticarum peritiores et sunt et fuerunt, de hac re senserit, paucis exponam. Qui ut contra eam rationem, qua Schaeferus verba Oed. Col. 277 sq. μή τοὺς θεοὺς μοῖραν ποιείσθε explanavit, repugnet: „Non ignoro, inquit,<sup>1</sup> equidem τίθεσθαι φήρους τι apud Aeschylum esse φηρίζεσθαι τι et μολπὴν ἐξάργειν θεοὺς pro μέλπειν θεοὺς: ipse Schaeferus ad Oed. Col. v. 584 annotavit ex v. 223 δέος ἴσχετε μῆδέν, ὅσ' αὐδῶ: quod genus copiose illustravit Matthias in Grammat. Gr., Hermannusque in annotatione ad Euripid. Troad. v. 123. Seidl. Quamquam cavendum mihi videtur, ne quis cum hoc genere permisceat Sophocleum πανδάκρυτ' ὀδύρματα τῆν Ἡράκλειον ἐξῶδον γοωμένην, et alia aliorum, ubi accusativus, τῖνα τρόπον aliquid fiat, ostendit. Illa vero periphrasim efficiunt eam, cuius nomen accusativi cognatum est verbo eundem regenti casum, qui illi est additus: velut πένθος αἶρειν τινά est πένθειν τῖνα. Sed in Sophoclis Ai. v. 190. Herm.:

μή, μή μ' ἀνάξ' ἔδ' ὀδ' ἐφάλοισ κλισίαις  
ὄρμ' ἔχων κακὰν φάτιν ἄρη,

accusativus κακὰν φάτιν nullam prae se fert speciem verbi alicuius significatu pari: praesertim si medium adsit αἶρεσθαι. Haec igitur ita interpreto, ut nequeant idonea esse ad locutionem θεοὺς μοῖραν ποιείσθαι stabiliendam. Quam explicationem ex parte tantum comprobendam esse existimo. Nam quod Reisigius affirmat illa tantummodo verba huc pertinere, quae periphrasim eam efficiant, cuius substantivum in accusativo positum eiusdem originis sit atque verbum eum casum regens, quocum tota locutio coniuncta sit, recte indicat. Vere quoque dicit locutionem ὀδύρματα γοῶσθαι τῖνα multum distare a phrasibus μοῖραν ποιείσθαι et κακὰν φάτιν αἶρεσθαι, ad quas stabiliendas illa nullo modo idonea sit. Sed vehementer errat, quod locutionem illam μολπὴν ἐξάργειν θεοὺς a Sophoclea oratione abhorreere asseverat, cum, quod infra videbimus, locutionum illi similibus vel plurima exempla inveniantur. Nec minus quam Reisigii reiicienda est Keckii<sup>2</sup> opinio, utpote qui de Oed. Col. 583 sq.

τὰ λοιπὸν αἰτεῖ τοῦ βίου, τὰ δ' ἐν μέσῳ  
ἢ λῆστιν ἴσχεις ἢ δι' οὐδενός ποιεῖ

hoc faciat iudicium: „Quod vulgo accusativum τὰ ἐν μέσῳ ita explicant, ut λῆστιν ἴσχεις idem esse dicant atque ἐπιλανθάνει: ex eaque notione pendere accusativum, vereor ne Sophoclem egregie peccare statuant contra grammaticorum praecepta. Quaecunque enim contra dicit magnus ille G. Hermannus, inventor et amator eius verborum structurae, certe clarissimus quisque poëta Graecus ea prorsus abstinuit. Nam quod afferunt Oed. Col. v. 1120 τέκν' εἰ φανέντ' ἄελπτα μῆκύνω λόγον, nihil huc pertinet: τέκνα non pendet e notione μῆκύνω λόγον, quasi sit idem atque μακρότερον προσφωνῶ, sed e verbo μῆκύνω, λόγον vero, hoc est ‚sermonem‘ pro ‚re de qua sermo est‘, ita apposuit poëta ad τέκνα, ut filiarum adventus diceretur sermonis esse argumentum. Pariterque omnes loci similes, nisi vitio aliquo laborant, explicandi sunt. Quam sententiam quis est, qui assensu suo comprobet? Explicatio enim ipsa Keckii cum exquisitior

1. Caroli Reisigii Commentationes Criticae de Sophoclis Oedipo Coloneo, p. 225 sq.

2. Keck, Disputatiuncula Sophoclea, Progr. Schleswig 1865, p. 21 sq.

et artificiosior sit, quam ut ferri possit, tum verba τὰ ἐν μέσῳ λήστιν ἴσχεις ab eo brevius quam par est perstrincta sunt: quae verba haud scio an his ipsis exemplis e Latina lingua petitis: ,aliquid enixe operam do<sup>1</sup> et ,animum adverto aliquid<sup>2</sup> defendi possint, praesertim cum τὰ ἐν μέσῳ neutrius generis sit. Nec minus quam Reisigius et Keckius alii, etsi alia ratione in hac re errore mihi capti et ducti videntur. Metuo enim, ne in explicanda talium locutionum constructione permulti, quae separare non licet, falso dirimant ac divellant aut quae valde diversa sunt, prave ad eandem rationem ac leges revocent. Qua in re praeter ceteros Wannowskius commemorandus mihi videtur, quippe qui in eo libro,<sup>3</sup> qui inscribitur syntaxis anomalae Graecorum pars, paginis amplius septuaginta silvam accusativorum emensus pendentium manifestaque vitia tutatus<sup>4</sup> nihil fere nisi absolutos reliquerit et illo loco,<sup>5</sup> quo de constructione ad sensum singulorum verborum agit, mihi quidem dissimillima conferre vel potius commiscere videatur. Nam quod exempla, quae affert,<sup>6</sup>

Oed. Col. 113 sq. σιγήσομαι τε καὶ σὺ μ' ἐξ ὁδοῦ πόδα  
κρύψον κατ' ἄλλους, τὸνδ' ἕως ἂν ἐκμάθω —

Oed. Col. 1496 sq. ὁ γὰρ ξένος σε καὶ πόλισμα καὶ φίλους ἐπαξίω  
δικαίαν χάριν παρασχεῖν παθῶν.

Oed. Col. 583 sq. τὰ λίσθη' αἰτεῖ τοῦ βίου, τὰ δ' ἐν μέσῳ  
ἢ λήστιν ἴσχεις ἢ δι' οὐδενός ποιεῖ.

Aeschyl. Eum. 507 sqq. ταῦτά τις τάχ' ἂν πατήρ  
ἢ τεκοῦσα νεοπαθῆς  
οἶκτον οἰκτίσαιτ', ἐπει-  
δὴ πίτνει δόμος δίκας.

Ai. v. 1107 sq. ἀλλ' ὄνπερ ἄρχεις ἄρχε καὶ τὰ σέμν' ἔπη  
κόλαζ' ἐκείνους· τόνδε δ', εἴτε μὴ σὺ φῆς —

omnia ita enodat, ut verba πόδα κρύπτειν τινά, χάριν παρασχεῖν τινά, λήστιν ἴσχειν τι, οἶκτον οἰκτίζειν τι, ἔπη κολάζειν τινά eadem ratione dicta esse censeat, ei adeo non possum assentiri, ut locorum rationem longe aliam esse obtineam. Iam vero inveniuntur, qui quasi studio abrepti id sanandi atque emendandi, quod nullius emendationis indiget, sed ex ipsa poëtae dicendi ratione atque usu facile explicari potest, locos huc referendos temere sollicitaverint: velut, ut unum e compluribus exemplis commemorem, magnopere vereor, ut ii recte fecerint, qui, quoniam

El. 122 sqq. τίν' αἰεὶ  
τάχεις ὁδ' ἀκόρεστον οἰμωγῶν  
τὸν πάλαι ἐκ δολεράς ἀθεώτατα  
ματρὸς ἀλόντ' ἀπάταις Ἀγαμέμνονα  
καχᾶ τε χειρὶ προδοτον;

1. Ellendt-Seyffert, Lateinische Grammatik, § 157, b.

2. Cic. Tusc. V, 23, 65 animum adverti columellam. Caes. B. G. I, 24, 1 postquam id animum advertit.

3. Syntaxis anomalae Graecorum pars de constructione, quae dicitur, absoluta deque anacoluthis huc pertinentibus scripsit A. de Wannowski, p. 248 sq.

4. Cf. Bernhardt, Paralipomena syntaxis graecae, Halle 1862, p. 17.

5. p. 232—250.

6. p. 248.

verba τάξεις ἀνωγάν Ἀγαμέμνονα explicari non posse rati in librorum lectione offendebant, locum depravatum eiusque difficultates coniectura expediendas esse statuerint. Ac ne Nauckius quidem, vir in rebus Sophocleis habitans, in tractandis locis, de quibus exponimus, constare sibi videtur; namque cum locos aliquot mea quidem sententia huc pertinentes mutandos iudicet, interdum huius verborum constructionis fines mihi longius videtur produxisse.<sup>1</sup> Ceteri autem Sophoclis editores, ut Wolffius,<sup>2</sup> Wunderus,<sup>3</sup> alii, etsi melius Nauckio conservandis locis, qui huc spectant, serviverunt, tamen his quoque accidit, ut dissimilia verba inter se compararent.

Restat, ut paucis de iis disseram, quae grammatici, qui quidem copiosius egerint de hac verbi periphrasi, de ea docuerint. E quibus Kuehnerus, qui in quaestionibus grammaticis maximam sane habet auctoritatem, de accusativo e phrasibus apto uberrime disseruit.<sup>4</sup> Qui idem quod complures editores interpretesque videtur mihi peccavisse his locis in unum collectis et inter se comparatis:<sup>5</sup>

El. 1034 οὐδ' αὖ τοσοῦτον ἔχθος ἐχθαίρω σ' ἐγώ.

Ai. 1107 sq. τὰ σέμν' ἔπη

κόλαζ' ἐκείνους.

El. 556 sq. καὶ μὴν ἐφήμ'. εἰ δέ μ' ὦδ' αἰεὶ λόγους

ἐξήρχες.

Oed. Col. 1120 τέκν' εἰ φανέντ' ἄελπτα μηκύνω λόγον.

Qua in re vir praestanti rerum grammaticarum scientia egregius quid secutus sit, non video. Neque enim difficile, ut opinor, est ad intellegendum, quam diversi sint loci Ai. 1107 et El. 556, quandoquidem in verbo alterius versus κολάζειν propria vis castigandi manet, verbum alterius versus ἐξάρχειν propria significatione evanescente cum substantivo λόγους circumlocutionem verbi λέγειν sive ἐννέπειν facit. Magis vero consentaneum est locum εἰ δέ μ' ὦδ' αἰεὶ λόγους ἐξήρχες numero horum exemplorum inseri, quae Kuehnerus alio loco<sup>6</sup> collegit: Aesch. Ag. 780 sqq. θεοὶ Ἰλίου φθορὰς φήφους ἔθεντο = ἐψηφίσαντο. Soph. Trach. 996 ὅταν μ' ἄρ' ἔθου λώβαν = ἐλωβήσω. Soph. Tr. 614 sq. καὶ τῶνδ' ἀποισεις σῆμ', ὃ κείνος εὐμαθὲς σφραγίδος τῶδ' ἐπ' ὄμμα θήσεται. Eur. H. f. 707 ἂ χρῆν σε μετριῶς σπουδῆν ἔχειν = σπουδάξειν. Similiter Buttmannus<sup>7</sup> exempla dissimilia inter se contulit, cum haec in unum locum composuit: Thuc. 4, 15 ἔδοξεν αὐτοῖς, σπονδὰς ποιησαμένους τὰ περὶ Πύλον, ἀποστεῖλαι πρέσβεις. Lys. 1, 44 οὔτε συκοφαντῶν γραφὰς με ἐγράφατο. Soph. Ai. 1107 τὰ σέμν' ἔπη κόλαζ' ἐκείνους, ubi Buttmannus verba ἔπη κόλαζ' in unam notionem confusa esse contendit. Thuc. 8, 75 ὄρκωσαν τοὺς μεγίστους ὄρκους πάντας τοὺς στρατιώτας. Eur. Bacch. 1287 τὸ μέλλον καρδία πῆδῆμ' ἔχει. Multo melius atque verius quam Buttmannus et Kuehnerus de hac re iudicat K. W. Kruegerus,<sup>8</sup> qui quin de grammatica graeca optime me-

1. Sophokles, erklärt von Schneidewin-Nauck: Aias 7. Aufl.; Oed. Tyr., Philokt., Antig. 6. Aufl.; Oed. auf Col., El. 5. Aufl.; Trach. 4. Aufl.

2. Sophokles, für den Schulgebrauch erklärt von G. Wolff, 2. Aufl.

3. Sophoclis tragoediae. Recensuit et explanavit E. Wunderus, ed. III.

4. R. Kühner, Ausführliche Grammatik der griechischen Sprache, 2. Aufl. 2. Theil, § 411, 4; § 411, 3.

5. Ausführliche Grammatik, 2. Theil, § 411, 3.

6. Ausführliche Grammatik, 2. Theil, § 411, 4.

7. Ph. Buttmanns griechische Grammatik, 22. Aufl. Berl. 1869, p. 380.

8. K. W. Krüger, Griechische Sprachlehre für Schulen, 2. Theil, Poetisch-dialektische Syntax, 2. Aufl., § 46, 18, 1—3. Cf. § 46, 12, und A. 1—3. § 46, 11, 3.

ritus sit nemo est, qui dubitet. Rectissime enim exempla verbales accusativos continentia ab exemplis, quae accusativos e phrasibus transitivorum verborum vices sustinentibus pendentes habent, seiungit. Nuperrime E. Escherus<sup>1</sup> librum de accusativi usu Sophocleo diligentissime scriptum edidit: quem, ne quis a me plus aequo neglectum esse criminetur, paene absoluta demum haec scriptiuncula inspicere licuit. Ex iis, quae Escherus in eo libro disputavit, iam Trawinskium<sup>2</sup> in commentatione inaugurali de accusativi ex phrasibus apti apud tragicos graecos usu copiosius egisse cognovi. Quam in commentationem ceterum accurate compositam quod sero incidi, perincommode accidit, praesertim cum Trawinskii in ea neque omnia exempla, quae conquirere debebat, persecutus sit et multa protulerit, quae mihi quidem non probantur.

Iam ut breviter complectamur, quae viri docti de Sophocleo usu eius accusativi explicaverunt, quem poëta phrasi e substantivo et verbo compositae solet addere vi verbi spectata, cuius locum phrasis illa obtinet: pauci sunt, qui talem constructionem a Sophocle prorsus abiudicent, ut Reisigius<sup>3</sup> et Keckius.<sup>4</sup> Quod quibus de causis fecerint, intellegere et cogitatione comprehendere non possum. Primum enim permulti sunt loci, in quibus aut omnes aut optimi libri habent illam verborum conformationem. Deinde satis multa exempla eiusdem generis cum apud scriptores tum apud tragicos Graecorum scripta legimus: Thuk. VIII, 8, 41 τὴν χώραν καταδρομαῖς λείαν ἐποιεῖτο, i. e. τὴν χώραν ἐλεγήλαται (Buttm. gr. gr. § 131, 4a),<sup>5</sup> Thuk. VIII, 62 σκευὴ καὶ ἀνδράποδα ἀρπαγὴν ποιησάμενος i. e. ἀρπάσας (Kühn. gr. gr. § 411, 4); Herod. 4, 88 ζῶα γραφόμενος πᾶσαν τὴν ζεῦξιν τοῦ Βοσπόρου, i. e. ζωγραφήσας (Krueg. gr. gr. II, § 46, 18, 2); Aesch. Ag. 780 sqq. θεοὶ ἀνδροβνήτας Ἰλίου φθορὰς ψήφους ἔθεντο, i. e. ἐψηφίσαντο (Buttm. gr. gr. § 131, 4a); Aesch. Eum. 229 ἐγὼ δίκας μέτεμι τόνδε φῶτα, i. e. διώκω (Escher. p. 159); Eur. Or. 106 ἐπίσχες, ἐν μὲν πρῶτά σοι μομφὴν ἔχω, i. e. ἐν σοι μέμφομαι (Krueg. gr. gr. II, § 46, 18, 3); Eur. Tro. 147 sqq. ἐξάρξω μολπὰν οἶαν ποτὲ δὴ ἐξήρχον θεοῦς, i. e. θεοῦς ἐξάρχοντες ἐμείλιπον (Krueg. § 46, 18, 2); Eur. Bacch. 1247 τὸ μέλλον καρδία πῆδημι ἔχει, i. e. τὸ μέλλον καρδία φοβεῖται (Buttm. gr. gr. § 131, 4a). Neque haec dictio a carminibus Homericis aliena est, utpote quae haec praebeant: Θ 170 sq. τρίς δ' ἄρ' ἀπ' Ἰδαίων ὄρέων κτύπε μητίετα Ζεὺς, σῆμα τιθεῖς Τρώεσσι μάχης ἑτεραλκία νίκη, i. e. σημαίνων Τρώεσσι μάχης ἑτεραλκία νίκη (Buttm. gr. gr. § 131, 4a); Δ 155 φίλε κασίγνητε, θάνατόν νό τοι ὄρκι' ἔταμνον, i. e. θάνατον ὄρκιοτόμνον (Esch. p. 158; Schol. T 197 ταμίειν: τῶν ὄρκιων ἔτεμνον τοὺς λαμμούς, ὄθεν καὶ ὄρκιοτομίειν ἔλεγον). Quae exempla e poëtis et scriptoribus petita, quibus multa adici possunt, aut omnes aut complures interpretes ita enuclearunt, ut alterum accusativum cum verbo in unam notionem coalescere statuerent, quam ad notionem alter accusativus pertineret. Ceterum huius rei similitudinem etiam in hac locutione perspicio: κακά ποιεῖν τινα. Nimirum voces κακά ποιεῖν accusativus obiecti sequi potest, quia nulla alia iis subiecta notio est nisi haec, κακοποιεῖν sive κακουργεῖν: quam ad notionem quartus casus adiungitur. Haec eadem ratio est harum locutionum: ἀγαθὰ ποιεῖν τινα, i. e. εὐεργετεῖν τινα; κακά λέγειν τινα, i. e. κακηγορεῖν τινα; ἀγαθὰ λέγειν τινα, i. e. εὐλογεῖν τινα. Ac ne Romanorum quidem scriptores eo dicendi genere, quod idioma Graecae linguae dici potest, omnino

1. Escher, Der Accusativ bei Sophocles, Leipz. 1876.

2. De accusativi ex phrasibus apti apud tragicos graecos usu, Berol. 1864.

3. Cf. supr. p. 9.

4. Cf. supr. p. 9. 10.

5. Quae uncis inclusi verba, iis indicatur, quo in libro exempla, quae hic afferuntur, recte videantur explicata esse.

abstinuisse ex his exemplis intellegere possumus: Tuscul. III, 20, 48 ,animum advertit Gracchus in contione Pisonem stantem'; Tuscul. V, 23, 65 ,ego autem animum adverti columellam non multum e dumis eminentem'. Quibus in locis verba ,animum advertere' e logica, non e grammatica ratione constructa in unius verbi notionem abire, unde accusativus obiecti aptus sit, manifestum est. Quibus omnibus rebus circumspectis et rationibus subductis non possum non dicere ceteros Sophoclis interpretes, de quibus supra commemoravi, non mirum fecisse, si Keckio et Reisigio oblocuti sunt. At excepto Kruegero illi omnes hac in re offenderunt, quod accusativos, qui e duabus vocibus periphrasi simplicis verbi inservientibus pendent, cum accusativis verbalibus permiscuerunt. Praeterea ab iis, cum simplicissima eius generis exempla intacta relinquerentur, multi loci, cum audacia quadam dictionis conspici viderentur, vexati sunt, quamquam meo quidem iudicio nihil est, cur lacesantur. Neque dubito, quin eos locos illi non tentaturi fuerint, si Sophoclem constructiones in usum receptas libere et audacter usurpare solitum esse recordati essent. Quam consuetudinem poëta ut in aliis rebus, sic etiam in tractanda ea verbi periphrasi, de qua hoc loco agitur, retinuit: ita factum est, ut communem loquendi morem magis magisque excoleret. Itaque in iis, quae sequentur, exemplis ascensum quendam audacem a simpliciore ad difficiliorem orationem cognoscemus. Primum enim Sophocles ea verbi periphrasi usus est, quae, prorsus e more Graecorum posita, efficitur substantivo et uno ex his verbis auxiliaribus: *τίθεσθαι*, *ἔχειν* (*ἴσχειν*), *ποιεῖσθαι*. Cuius periphrasis exemplum est *λώβην τίθεσθαι τινα*, i. e. *λωβᾶσθαι τινα* Trach. 996. Deinde poëta saepissime circumlocutiones per substantiva et verba magis definita factas usurpavit. Huc quadrant hi loci: *κλήρους ἔπηλαν αὐτούς*, i. e. *ἐκλήρωσαν αὐτούς* El. 709 sq.; *μηκύνω λόγον τέκνα*, i. e. *μακρότερον λέγω* sive *μακρότερον προσηγορῶ τέκνα* Oed. Col. 1119 sq., ubi verba *λόγον μηκύνω* non modo vicaria sunt eius verbi, cui similitudo significationis est cum substantivo *λόγον*, sed etiam notio, quae verbi *μηκύνειν* propria est, residet, ut in vocabulis *λόγον μηκύνω* non vis ,λέγω', sed ,μακρότερον λέγω' insit: quo in genere ipso Sophocles admodum insolenter scripsisse dicendus est. Denique quartus casus apud eum e phrasi pendet, quae cum in simplicis verbi formam redigi non possit, tamen transitivo intellectu accipi potest: *μή με κακὰν φάτιν ἄρη*, i. e. *μή βάλῃς με εἰς κακὰν φάτιν* Ai. 191 ch. Quae structura est insolentissima.

Quoniam de Sophoclea dictione quid statuendum videretur exposuimus, ad locos ipsos, de quibus pluribus disserere nobis propositum est, aggrediamur.

Verbum *τίθεσθαι* a Sophocle saepissime ita ponitur, ut cum substantivo coniunctum verbo cognatae significationis circumlocutione reddendo serviat: *ἔθου φόνον* Oed. Col. 542, i. e. *ἐφόνευσας*. Neque minus frequentia sunt in hoc genere verba *ἔχειν* et *ἴσχειν*: *αἰσχύνῃν ἔχειν* El. 616, i. e. *αἰσχύνεσθαι*. *αἰτούσα τοὺς ὑπὸ χθονὸς ξύγγνοιαν ἴσχειν* Ant. 66, i. e. *ξυγγῶναι*. Cf. Ellendt-Genthe Lex. Soph. s. vv. *τίθεσθαι*, *ἔχειν*, *ἴσχειν*, ubi Sophoclei loci huius generis omnes sunt compositi. Quos inter locos maxime notabiles sunt, in quibus poëta locutionem illam pro transitivo verbo substitutam cum accusativo obiecti posuit. Huc quadrant hi loci: Oed. Col. 583 sq. 223. Trach. 996. 350. 614 sq.

Oed. Col. 583 sq. *τὰ λίσθῃ αἰτεῖ τοῦ βίου· τὰ δ' ἐν μέσῳ  
ἢ λῆστιν ἴσχεις ἢ δι' οὐδενὸς ποιεῖ.*

Vocabula *λῆστιν ἴσχεις* cum idem valeant atque *ἐπιλέλῃσαι*, accusativo *τὰ ἐν μέσῳ* iunguntur, quem casum verbum *ἐπιλανθάνεσθαι* (*ἐπιλήθεσθαι*, quae forma est Sophoclea) potest re-

cipere. Neque enim audiendus est Keckius<sup>1</sup>, qui τὰ ἐν μέσῳ ε δὲ οὐδενός ποιεῖ pendere existimat: quam explicationem propter verborum ordinem improbandam esse nemo non intellegit. Ac ne illud quidem mihi probatur, quod censet Keckius λῆσταιν ἴσχειν graece dici non potuisse: nam exempla verbi ἴσχειν ad circumlocationem adhibiti apud Sophoclem multa suppeditant. Quae omnia Ellendtius in Lex. Soph. s. v. ἴσχειν diligenter collegit.

Oed. Col. 223 δέος ἴσχετε μηδέν ὅσ' ἀδῶ.

Dissentiunt interpretes, utrum δέος ἴσχετε μηδέν pro periphrasi accipiendum an τούτων ante ὅσα audiendum sit. Qui τούτων audiri volunt, versum sic explicant: Nolite habere metum eorum, quae dico. Sed nihil est, quod illud intellegant. Nam voces δέος ἴσχετε μηδέν cum idem significant ac μὴ δειμαίνετε, quod verbum quartum casum exigit, huius verbi constructionem ipsae sibi induunt. Itaque ad phrasim illam accusativus obiecti, cuius vicem hoc loco enuntiatum relativum ὅσ' ἀδῶ praestat, additur. Versus igitur in Latinam linguam sic transferendus est: Nolite metuere quae dico.

Trach. 996 οἶαν μ' ἄρ' ἔθου λώβαν, οἶαν.

Accusativum μ' (μέ) e phrasi λώβαν τίθεσθαι, quippe quae eandem vim in se habeat quam simplex verbum λωβᾶσθαι, aptum esse perspicuum est. De media forma τίθεσθαι, qua usus est poeta, quamquam λώβαν τίθεσθαι ad reflexivam significationem revocari non potest, vid. quae infr. ad. Ai. vv. 191 sq. annotavimus.

Trach. 350 ἄ μὲν γὰρ ἐξείρηκας ἀγνοία μ' ἔχει.

Wunderus et Nauckius ante ἀγνοία omissum esse τούτων contendunt. Neque vero oportuit eos hoc statuere, cum neque ad ellipsim confugiendum sit nisi necessario et hic locus facile possit aliter enodari. Nam ἀγνοία μ' ἔχει per circumtionem quandam ἀγνοῶ significare nemo est quin videat. Itaque iungitur copulatae locutioni, ut verbo ἀγνοῶ ipsi, accusativus obiecti, cuius locum enuntiatum ἄ ἐξείρηκας obtinet.

Trach. 614 sq. Omnes codices consentiunt in hac lectione:

καὶ τῶνδ' ἀποισεις σῆμ', ὃ κείνος εὐμαθές  
σφραγίδος ἔρκει τῷδ' ἐπ' ὄμμα θήσεται.

Hoc loco cum in phrasi ὄμμα θήσεται tum in verborum constructione paulo artificiosiore interpretes atque editores offendisse mihi videntur. Quo factum est, ut ex iis multi locum corruptum esse suspicati sanationes excogitent tentarentque. Sic Brunckius pro σφραγίδος ἔρκει τῷδ' ἐπ' ὄμμα θήσεται longissime a tradita lectione recedens temere simul et male scripsit σφραγίδι θέμενος τῷδ' ἐπ' ὄμμα γνώσεται. Billerbeckius, quem multi secuti sunt, pro τῷδ' ἐπ' ὄμμα θήσεται coniecit τῷδ' ἐπὶν μαθήσεται. Cuius coniectura sane ingeniosa recepta Dindorfius εὐθέως pro εὐμαθές scribendum esse arbitratus duos versus hunc in modum constituit: καὶ τῶνδ' ἀποισεις σῆμ', ὃ κείνος εὐθέως σφραγίδος ἔρκει τῷδ' ἐπὶν μαθήσεται. Sed huic mutationi illa ipsa officere mihi videntur, quae scholiasta ad hunc locum ascripsit: σῆμ', ὃ κείνος εὐμαθές· εὐγνωστον σημείον κομίσεις, ὅπερ ἐκείνος ἐπιγνώσεται, ἐπιθεῖς τὸ ὄμμα τῇ σφραγίδι, γνούς ὅτι παρ' ἐμοῦ εἶη ἡ σφραγίς. A qua scholiastae annotatione ipsa multo maior probabilitatis species his accedit, quae duce Burgesio<sup>2</sup> Nauckius et Bernhardyus<sup>3</sup> dederunt:

1. Progr. Schlesw. 1865, p. 22.

2. Cf. Boisson. Theophyl. Sim. p. 233 etc.

3. Bernhardt, Griech. Litteraturg. p. 343.

σῆμ', ὁ κείνος ὄμμα θεῖς  
σφραγίδος ἔρκει τῷδ' ἔπ' εὐ μαθήσεται.

Sed quamquam eam coniecturam perelegantem esse et duorum versuum verba extrema a librariis facile inter se mutari potuisse concedo, tamen librorum lectionem servare quam Nauckii et Bernhardyi sententias probare maluerim, praesertim cum verba, quamvis difficiles habeant explicatus, tamen ita explanari possint, ut, sive grammaticam sive sententiam ipsam respicias, nihil ineptum sit. — Maximam sane nobis praebent difficultatem illa: ὁ κείνος εὐμαθὲς ὄμμα θήσεται. Quaeritur enim, unde accusativus ὁ aptus sit, quem intellectum εὐμαθὲς habeat, quam ratione ὄμμα θήσεται accipiendum sit. Sunt autem qui ὁ ex εὐμαθὲς pendere velint, ut huic adiectivo activam notionem subiciant. Sed ab Hermanno ea explicatio ut arcessita iure reicitur. Neque illud adduci possum ut credam quod Hermannus dixit, sententiam esse ὁ κείνος εὐμαθὲς ὄφεται. Nam et dubito, num Sophocles εὐμαθὲς active usurpaverit, neque fieri potuisse iudico, ut ille in phrasi ὄμμα θήσεται substantivo epitheton aliquod tribueret: diversum enim est ἀκόμεστον οἰωγῶν Trach. 122; quo de loco vide infra. Neque ullo modo Ai. vv. 191 sq. vocabula κακὰν φάτιν comparari licet, quoniam ea in unam notionem κακολογίαν abire manifestum est; atque in eadem causa videtur mihi versari ἄσκοπον πρᾶγος περαίνειν; quorum verborum de explanatione vid. infr. ad Ai. v. 21. Mihi quidem, si in tanta summorum virorum dissensione licet, quid sentiam, dicere, non dubium videtur, quin εὐμαθὲς hoc loco passive intellegi possit aequae atque Ai. 15 ὡς εὐμαθὲς σου φώνημ' ἀκούω, i. e. quam facile agnitu vocem tuam auribus percipio! Jam vero quid ὄμμα θήσεται declaret in prompta est. Nam verbum τιθεσθαι et substantivum ὄμμα, cuius significatio, visus et obtutus est, per circuitiōnem quandam a poëta in locum simplicis verbi ὄραν (ὄφεται) substituta sunt. Ex quo efficitur, ut voces σῆμ' ὁ κείνος εὐμαθὲς ὄμμα θήσεται sic explicandae sint: signum, quod facile agnitu ille aspiciet. Εὐμαθὲς igitur praedicati locum obtinens ad pronomen ὁ spectat: similiter in Ai. v. 15 εὐμαθὲς praedicatum est et ad φώνημα pertinet. Iam reliquum est, ut quemadmodum σφραγίδος ἔρκει τῷδ' ἔπ' interpretandum sit doceamus. Praepositio ἐπί (ἐπ'), cuius accentus apud Sophoclem etiam Ant. 189 ταύτης ἐπι πλέοντες ὀρθῆς retrahitur, hoc loco, ut saepe, causae significationem habet et cum ἔρκει coniungenda est. Quae cum ita sint, sequitur, ut sententia loci sit haec: horumque perferes signum, quod hoc sigilli septo ad agnoscendum facile ille aspiciet: welches jener, wegen dieses Siegels als ein leicht zu erkennendes ansehen wird. Nihil vero afferunt, qui Graeca verba implicatius conformata esse dicunt quam ut ferri possint: eiusdem verborum consecutionis constructionisque exempla permulta afferri posse nemo ignorat. Nam ut alia omittam, quid inter hunc locum et Ai. v. 15 ὡς εὐμαθὲς σου φώνημ' ἀκούω interest? Certe enim quod ad huius loci praedicatum εὐμαθὲς verba σφραγίδος ἔρκει τῷδ' ἔπ' causae indicandae causa accedunt, in Ai. v. 15 vocabulo εὐμαθὲς nihil attribuitur, vix ullum momentum videtur afferre.

Iam subsequuntur exempla, quae ab iis, de quibus iam exposuimus, hac re aliquantum differunt, quod pro verbis auxiliariis ἔχειν et τιθεσθαι, quae in circumlocutionibus frequentissima esse notum est, poëta verbis plenioris magisque definitae notionis ad periphrasim verbi faciendam usus est. Cuiusmodi exemplorum sunt duo genera, quorum in altero substantivum et verbum nihil nisi verbi substantivo cognati circumlocutionem faciunt, in altero notio verbi ad circuitum eloquendi adhibiti ipsa residet verboque efferenda est. Cuius speciei exempla nonnulla ambiguitate scripturae laborant. De quibus agemus, cum de integris disputaverimus.

Ai. 21 νοκτός γάρ ἡμᾶς τῆσδε πράγος ἄσκοπον  
ἔχει περάνας, εἴπερ εἴργασται τάδε.

Quae verborum ἡμᾶς πράγος ἄσκοπον ἔχει περάνας constructio sit, in nulla, quod sciam, editione Aiacis fabulae demonstratur. Attamen mihi tanti est ostendere, quem ad modum singula vocabula inter se cohaereant: nam constructio meo quidem iudicio impeditior est quam ut silentio praetereatur. Ac pendet quidem ἡμᾶς e locutione ἄσκοπον πράγος περαίνειν, qua idem intellegi potest quod phrasi ἄσκοπον ποιεῖν. Constructitur autem ἄσκοπον ποιεῖν ut [similis phrasis κακόν τι (κακά) ποιεῖν. Ceterum aperte mihi nugari videntur Suidas et recentiores interpretes ἄσκοπον ita accipientes, ac si idem sit atque ἀπροσδόκητον. Neque recte Nauckius explicat ‚unerklärlich‘. Nam ἄσκοπος verbo σκοπεῖν cognatum cum a stirpe σκοπ ortum sit, significat ‚unabsehbar‘.<sup>1</sup> Πράγος ἄσκοπον igitur est ‚eine unabsehbare That, i. e. eine That von unabsehbarer Tragweite, von unabsehbaren Folgen‘. Quae significatio, si sententiarum nexum respicimus, ad nostrum locum vel aptissima est.

Oed. Col. 1150 λόγος δ' ὅς ἐμπέπτωκεν ἀρτίως ἐμοί  
στείχοντι δεῦρο, συμβαλοῦ γνώμην.

Libri omnes habent λόγος δ'. Superiores editores, quoniam quid hoc loco nominativus λόγος sibi vellet non intellegebant, eum esse corruptum suspicati sunt. Quo factum est, ut pro λόγος scriberent λόγον. Iure autem tutatus est λόγος δ' ὅς ἐμπέπτωκεν Porsonus, quem novissimi editores secuti sunt. Neque enim est, cur in nominativo λόγος offendas. Namque λόγος pronomini relativo ὅς assimilatum in locum accusativi λόγον successit. Cuius assimilationis exempla Buttmannus in gr. gr. p. 472 multa collegit. Λόγον vero συμβαλοῦ γνώμην dici potest, cum συμβαλοῦ γνώμην hoc valeat: ‚reputa‘, ‚zieh in Überlegung‘.

Oed. Col. 1119 sq. ὦ ξεῖνε, μὴ θαύμαζε πρὸς τὸ λιπαρές,  
τέκν εἰ φανέντ' ἀέλπτα μηκύνω λόγον.

De horum verborum structura mira inter viros doctos sententiarum varietas est. Ordiamur a priorum editorum interpretationibus. Brunckius τέκνα φανέντα nominativum absolutum vocare non dubitavit, secutus, ut videtur, scholiastam hoc interpretamentum proponentem: οὐ φησὶν (sc. Σοφοκλῆς) ἀέλπτως φανέντων ἐμοὶ τῶν τέκνων μηκύνω τὸν λόγον, ἀλλὰ τέκνα φανέντα εἶτα μηκύνω τὸν λόγον. Neque defuerunt, qui ad sententiam eius accederent. Sed ‚vereor, ne appellatio (sc. nom. abs.) nihil sit nisi per fugium, quod consecentur, qui quomodo rem expediant non inveniant‘. Aliter Hermannus rem conatus est expedire. Qui (ad Vig. p. 884) hanc notam ad hos versus apposuit: ‚Volebat (sc. poëta) dicere εἰ τέκνα φανέντα μηκύνειν με ποιεῖ λόγον, sed mutat tenorem orationis.‘ Sed postea Hermannus ipse Sophoclem a talibus interpretandi artibus vindicandum esse cum intellexisset, sententiam commutavit. Secus de loco nostro Keckius (Progr. Schlesw. 1865) censuit. Is enim τέκνα φανέντα e verbo μηκύνω pendere, λόγον vero cum significet ‚rem de qua sermo sit‘ a poëta ad τέκνα ita apponi opinatur, ut filiarum adventus dicatur sermonis esse argumentum. Sed hanc interpretationem et ad intellegendum vix apertam neque sententia commendatam quis est, qui non improbet? Quanto rectius ceteri interpretes et editores! qui accusativum τέκνα e notione ea, quae verbis λόγον μηκύνω subiecta esset, μακρότερον προσφωνῶ (μακρότερον προσηγοῶ, μακροῖς λόγοις ἀσπάζομαι, μακράν λέγω,

1. Cf. H. Schmidt, Synonymik der griechischen Sprache, Leipzig 1876, Bd. I, p. 261 sq.



μακρογορώ) aptum esse indicaverunt. In eadem sententia fuit Wunderus. Cui cum de enucleanda verborum constructione libenti animo assentiar, quae ille de loci sententia disputavit ut comprobem, a me non possum impetrare. Vehementer enim mihi videtur errare, quod *μηκόνειν λόγον τινά*, diutius de aliquo dicere significare et *μακρότερος λόγος* ad ea, quae Oedipus cum Theseo collocuturus sit, non ad sermonem cum filiabus modo habitum spectare affirmat. Qui quanto in errore versetur versibus 1139 sqq. satis probatur. Nam in iis Theseus Oedipo respondet: οὐτ' εἴ τι μῆκος τῶν λόγων ἔθου πλέον τέκνοισι τερψθεῖς τοῖςδε, θαυμάσας ἔγω, οὐτ' εἰ πρό τοῦμοῦ πρόλαβες τὰ τῶνδ' ἔπη. Nec immerito eadem de causa Hermannus improbavit, quod Elmsleio scribendum videbatur, *μηκόνω*. Sed ut quomodo *λόγον μηκόνω* accipiendum sit facilius intellegatur, paucis sententiarum nexus exponendus videtur. Antigona et Ismena, quas Creon vi abstrahi iusserat, a Theseo salvae reducuntur. Oedipus gaudio exsultans filias amplexus alloquitur laetissimus atque salutatur, ut ne ad Theseum quidem regem, quem adesse ab Antigona audiverat, ullum respectum habeat. Tum demum, postquam gaudio elatus cum filiabus diutius confabulatus est, Atheniensium regem his verbis appellat: ὦ ξεῖνε, μή θαύμαζε πρὸς τὸ λιπαρές, τέκν' εἰ φανέντ' ἄελπτα μηκόνω λόγον. Quibus e rebus colligere possumus in verbis *μηκόνω λόγον τέκνα* hoc delitescere: diutius alloquor liberos. Sed quaeritur, qui fieri possit, ut vocabulis illis insit ea significatio. Quod difficile non est ostendere. Phrasi enim *λόγον μηκόνω*, quae proprie est, 'produco sermonem in longitudinem', Sophoclem, qui eius erat loquendi mos, pro *μακράν λέγω* uti potuisse mihi exploratum est. Dici autem *λέγω τινά* nonnunquam sic, ut significet alloqui aliquem, non negabit, qui hos locos comparaverit: Il. XII, 60 δὴ τότε Πουλυδάμιας θρασὺν Ἐκτορα εἶπε παραστάς. Il. XVII, 237 καὶ τότε ἄρ' Αἴας εἶπε βοῆν ἀγαθὴν Μενέλαον. Soph. Ai. 764 ὁ μὲν γὰρ αὐτὸν ἐνέπει. Quae cum ita sint, liquet etiam *μηκόνω λόγον*, quod idem declarat atque *μακράν λέγω*, modo aliis verbis, cum accusativo *τέκνα* coniungi posse. Ceterum Escherus cum *λέγειν τινά* non male comparat illud: 'jemanden sprechen'. Atque bene idem verba Graeca Germanice sic reddit: 'ich spreche die Kinder ein langes Sprechen'.

Oed. Col. 47 ἀλλ' οὐδ' ἐμοὶ τοι τοῦξανιστάναι πόλεως  
διχ' ἔστι θάρσος.

Ita, οὐδ' ἐμοὶ τοι, librorum optimorum scripturas οὐδ' ἐμόν τοι et οὐδὲν μένοι correxit Seidlerus, qui quin recte illa mutaverit, haud scio in nemo dubitet. De loci sententia inter omnes constat: audere se negat hospes privatim (i. e. *δίχα πόλεως*) Oedipum expellere. Dissentiunt autem interpretes, utrum *τοῦξανιστάναι* pro genetivo cum *θάρσος* coniungendo accipiendum sit an pro accusativo e phrasi *θάρσος ἐμοὶ ἔστι* apto. Sed hoc mihi arridet, illud displicet. *θάρσος* enim *ἐμοὶ ἔστι* idem est atque verbum simplex *θαρσῶ*, i. e. nicht fürchten, wagen: quod verbum cum accusativum regat, etiam locutio illa copulata, qua idem declaratur, accusativum *τὸ ἔξανιστάναι* (*τοῦξανιστάναι*) sequi patitur. Neque ullam offensionem habet infinitivus cum articulo coniunctus hac ipsa de causa, quod *θάρσος ἐμοὶ ἔστι* nihil est nisi *θαρσῶ*. Similiter in Ant. vv. 235 sq. τῆς ἐλπίδος γὰρ ἔρχομαι δεδραγμένος τὸ μὴ ποθεῖν ἂν ἄλλο πλὴν τὸ μόρσιμον ad phrasim τῆς ἐλπίδος ἔρχομαι δεδραγμένος, quippe quae simplicis verbi ἐπιζῶ munus sustineat, infinitivum cum articulo coniunctum videmus adiungi. Praeterea permulta exempla inveniuntur, in quibus ad infinitivum obiective a verbo suspensum articulus *τὸ* accedat: Phil. 118 οὐκ ἂν ἀρνοήμην τὸ δρᾶν. Phil. 620 τὸ σπεύδειν δέ σοι παρανόω. Phil. 1241 ἔστιν, ὅς σε κολύσει τὸ δρᾶν. Oed. Col. 442 τὸ δρᾶν οὐκ ἠθέλησαν. Oed. Col. 1617 τὸ γὰρ φιλεῖν οὐκ ἔστιν ἐξ ὅτου πλέον ἔσχετε. Ant. 79 τὸ βία πολιτῶν

δρᾶν ἔφον ἀμήχανος. Cf. Ellendt-Genthe p. 490 et Herm. ad Ai. v. 114. Neque vero idem est τὸ βία πολιτῶν δρᾶν ἔφον ἀμήχανος, quod βία πολιτῶν δρᾶν ἔφον ἀμήχανος. Nam praeclare intellegit Hermannus fortius τὸ δρᾶν esse, quam sine articulo: nihil enim interesse inter τὸ δρᾶν ἔφον ἀμήχανος et τὸ δρᾶν, τοῦτο ἀμήχανος ἔφον. Quae si recte disputata sunt, verba ἐμοὶ θάρσος ἐστὶ τοῦξανιστάναι (intellege σέ) hoc modo Latine videntur reddenda: te expellere, id non audeo.

El. 556 sq. καὶ μὴν ἐφίημι· εἰ δέ μ' ὦδ' αἰεὶ λόγους  
ἐξήρχες, οὐκ ἂν ἦσθα λυπηρὰ κλύειν.

La m. pr. λόγους: λόγους m. rec. mutavit in λόγοις. Λόγοις habent multi libri, ut A, Γ, alii. Cum his consentit scholiasta, cuius annotatio haec est: εἰ δέ μ' ὦδ' αἰεὶ λόγοις· εἰ πρὸ τῶν λόγων ἐπονθάνου εἰ τὸ λέγειν σοὶ ἐφίημι, οὐκ ἂν ἦς λυπηρὰ. Dativum multi editores et interpretes, ut Hermannus, Ellendtius (Lex. Soph. s. v. ἐξάρχω), Matthiaeus (gr. gr. § 423 annot.), Kruegerus (gr. gr. II, § 46, 11, 3) receperunt. Sed verba λόγοις ἐξάρχειν poëta num usurpaverit, mihi quidem maxime est dubium, cum ἐξάρχειν τινὶ nunquam ita dicatur, ut aliquid incipere significet. Neque dativus λόγοις defendi potest Euripideo illo versu θανόντα δεσπότην γόοις νόμφ τῷ νερτέρων κατάρξω Andr. 1171, praesertim cum κατάρχειν etiam accusativo iunctum inveniat, ut apud Platonem in Euthyd. θαυμαστὸν γὰρ τινα ἀνὴρ κατῆρχε λόγον. Eur. Or. 952 sq. κατάρχομαι στεναγμὸν αἰματηρὸν ἄταν. Iniuria igitur interpretes cum in optimi codicis lectione λόγους offendissent, λόγοις a malo verborum intellectu et ab errore inscientiaque librariorum profectum receperunt: quos, quia quid duplex accusativus μέ — λόγους sibi vellet non intellegebant, λόγους in λόγοις corrupisse verisimile est. Cf. infr. annotationem ad El. 709. Hartungus, qui libri summae auctoritatis scripturam λόγους ἐξήρχες servavit, pro μ', i. e. μέ, μοί scripsit. Sed vereor, ne sine causa ei accusativus offensionem fuerit, quem rectissime se habere contenderim. Nam λόγους ἐξάρχειν quoniam per circuitionem quendam dictum nihil aliud valet nisi λέγειν, i. e. anreden', eodem cum casu coniungitur atque verbum λέγειν ipsum. De λέγειν τινὰ jemanden anreden' cf. supr. Oed. Col. 1120. Neque vero Nauckio verbis vim ἀρχεσθαι ἐννέπειν sive incipere alloqui' tribuenti assentiri possum: nam haec duo vocabula, λόγους et ἐξάρχειν, coniunctim notionem alloquendi habere mihi videntur. Neque dissimile est, quod dixit Euripides in Troad. vv. 147 sqq. ἐξάρξω μολπᾶν, οἶαν ποτὲ δὴ ἐξήρχον θεοῦς: quo loco cum ἐξάρξω cum accusativo constructum sit, lectionem illam, ἐξήρχες λόγους, stabiliri nemo est quin videat.

El. 709 sqq. στάντες δ' ἐν αὐτοῦς οἱ τεταγμένοι βραβῆς  
κλήρους ἔπηλαν καὶ κατέστησαν δίφρους,  
χαλκῆς ὕπαι σάλπιγγος ἤξαν.

Omnes codices et Eustathius (419, 2) consentiunt in hac lectione: στάντες δ' ἐν αὐτοῦς οἱ τεταγμένοι βραβῆς κλήροις ἔπηλαν καὶ κατέστησαν δίφρους. Sed Nauckius cum neque ὀδὶ habere locum in trimetro neque in nostro versu elidi posse perspexisset, speciose scripturam codicum ὀδ' correxit in ἐν'. Iam sunt, qui librorum lectionem κλήροις ἔπηλαν tenendam censuerint, vocabula αὐτοῦς κλήροις ἔπηλαν sic interpretati: sorte loca assignarunt, ubi consisterent. Sed quemadmodum πάλλειν κλήροις dici possit, nullo modo intellegi potest. Neque enim ullam habent comparisonem exempla, quae G. Wolffius, ut κλήροις πάλλειν tueretur, ab Homero posuit: II. VII, 171 κλήρω νῶν πεπάλασθε. Od. 9, 331 τοὺς ἄλλους κλήρω πεπαλάσθαι ἄνωγον. Itaque procul dubio κλήροις depravatum est et corruptelae librariorum debetur. Ac patet quidem, quam ratione vitium ortum sit. Namque cum Sophocles accusativum κλήρους scripsisset, librarii quo-

niam quid duplex accusativus αὐτοῦς — κλήρους sibi vellet ignorabant, alterum accusativum κλήρους in dativum mutarunt. Simile exemplum est El. 556 λόγους ἐξήρχεσ με, quod supra in quaestionem disceptationemque vocavimus: ubi λόγους optimo libro traditum in libris deterioribus in λόγοις corruptum esse vidimus. Optime igitur Wunderus pro vulgata lectione κήρους e coniectura scripsit κλήρους. Sed idem in eo errat, quod scripto κλήρους accusativum αὐτοῦς e verbo κατέστησαν aptum esse, ita ut κλήρους ἐπῆλαν καὶ idem sit atque κλήρους πῆλαντες, contendit. Quam interpretandi rationem et nimis exquisitam esse neque probari posse, praesertim cum apud Sophoclem similia non reperiantur, nemo non concedet. Longe enim alia est ratio versuum, quos Wunderus ad hunc locum adhibet: Ant. 537 καὶ ξυμμετίσχω καὶ φέρω τῆς αἰτίας. Oed. Col. 1330 ὅς μ' ἐξέωσε κάπεσὺλῃσεν πάτρας. Ant. 1278 sq. τὰ μὲν πρὸ χειρῶν τάδε φέρων, τὰ δ' ἐν δόμοις ἔοικας ἔχειν καὶ τὰχ' ὄψεσθαι κακά. Et si αὐτοῦς ad κατέστησαν spectaret, quid esset, unde διέφρουσ penderet? Quamobrem illud eiciendum est, quod Wunderus huius loci interpretandi causa excogitavit. Aliter igitur verba explananda sunt. Et iure quidem Nauckius accusativum αὐτοῦς ad locutionem κλήρους ἐπῆλαν pertinere vult. Nam hoc quoque loco poeta, ut solet, pro transitivo verbo phrasi utitur; quae non modo eadem vi est, sed etiam facit eundem casum poni. Iam vero illud, quid κλήρους πάλλιν vicem verbi κληροῦν praebens sit, excutendum est. Ac subvenit quidem nobis hoc loco Euripideum illud: Ἐκάβη, σπουδῆ πρὸς σ' ἐλι-  
 ασθην τὰς δεσποσύνοους σκηρὰς προλιπούσ', ἐν' ἐκκληρώθην καὶ προσετάχθην δούλη Hec. 96 sqq. Ex quo verbum κληροῦν à Graecis ita usurpatum esse, ut secundum sortem constituere aliquem alicubi significaret, colligi potest. Neque cuiquam dubium potest esse, quin ea significatio nostro loco sit accommodatissima.

El. 121 sqq. ὦ παῖ, καὶ δυστανοτάτας  
 Ἥλέκτρα ματρὸς, τίν' ἀεὶ  
 τάχεις ὠδ' ἀκόρεστον οἴμωγάν  
 τὸν πάλαι ἐκ δολερὰς ἀθεώτατα  
 ματρὸς ἀλόντ' ἀπάταις Ἀγαμέμνονα  
 κακῆ τε χειρὶ πρόδοτον; ὡς ὁ τάδε πορῶν  
 ἄλοιτ', εἰ μοι θέμις τὰδ' αὐδᾶν.

Omnes codices habent: τίν' ἀεὶ τάχεις ὠδ' ἀκόρεστον οἴμωγάν τὸν πάλαι ἐκ δολερὰς ἀθεώτατα ματρὸς ἀλόντ' ἀπάταις Ἀγαμέμνονα κακῆ τε χειρὶ πρόδοτον. Hoc loco cum metrum tum verborum τάχεις οἴμωγάν τὸν Ἀγαμέμνονα constructio in offensionem plurimorum interpretum ceciderunt. Ac metri quidem vitium neminem fugere potest, si versum τάχεις ὠδ' ἀκόρεστον οἴμωγάν cum illo comparat, qui in antistropha respondet στάσεις οὔτε γόοις οὔτε λιταῖσιν. Sed metrum utriusque versus si accuratius consideraverimus, versum, qui in stropha est, multo magis cum ceteris strophae versibus convenire quam antistrophicum cum versibus antistrophae facile cognoscemus. Recte enim Hermannus monet illum quoque versum strophicum, ut qui praecedant, Glyconeum esse, addito in fine spondeo. Spondeus vero adiectus hoc loco prorsus nihil offensionis potest habere, quandoquidem in exitu unius e tribus partibus positus est, in quas stropham divisam esse e discrepantia metri satis intellegitur. Quibus de causis non versum, qui in stropha, sed qui in antistropha est, suspectum esse arbitror, cum praesertim omnes libri manu scripti in stropha sine ulla variatione οἴμωγάν praebeant, de antistrophae versu inter se discrepent: pro λιταῖσιν enim in A legitur λιταῖς. Iniuria igitur Nauckius librorum omnium lectionem οἴμωγάν

depravatam ideoque sollicitandam esse suspicatus est. Antistrophae autem versum οὔτε γόοις οὔτε λιταῖσιν corruptum esse iam Triclinius probe intellexit. Itaque pro γόοις οὔτε λιταῖσιν metri causa dedit γόοισιν οὐ λιταῖς. Hermannus, qui in Tricliniana lectione acquiescendum non esse videbat, λιταῖσιν in ἄνταις mutavit. Cuius contra mutationem satis repugnat, quod vocabulum ἄνταις ab Hermanno ipso fictum in nullo veterum libro scriptum invenimus. Inclinat autem animus, ut Erfurdium εἰχαῖς pro λιταῖσιν scribi oportere monentem aptum vocabulum posuisse arbitrer. Namque antiquos grammaticos εἰχαῖς, quod ποιῆτα scripserat, cum hoc vocabulum diversos intellectus habere non ignorarent, explicandi causa in λιταῖσιν, vocem certae rataeque notionis, mutavisse ut credam facile adducor. Sed satis de metro et antistrophā! Redeamus nunc ad stropham, cuius versus ex illorum numero sunt, in quos coniciendi libido videtur grassata esse: nam ab interpretibus tam varie tentati mutatique sunt, ut copia non sit coniecturas in eos promulgatas omnes hoc loco recensendi; idemque de huius loci interpretationibus, quas viri docti permultas in medio posuerunt, dicendum est. Sed primum videamus, quas coniecturas docti criticaeque artis periti homines, cum offensi essent in verbis τὸν ἄει τάχεις ὠδ' ἀκόρεστον οἰμωγὰν τὸν Ἀγαμέμνονα, ad sanationem huius loci adhibuerint. Kvíčala (Sitzungsber. der Wien. Akad. XLV p. 398) coniecit τίς ἄει τάχεις σ' ὠδ' ἀκόρεστος (vel ἀκόρεστον) οἰμωγὰ; Gleditschius (Progr. Berl. 1867) τί μ' ἄει τάχεις ὠδ' ἀκόρεστον στενάχουσα; G. Wolffius τὸν ἄει τάχεις οἰμωγὰν ὠδ' ἀκόρεστον; Hertelius (Progr. Torg. 1856) τὸν ἄει τάχεις ὠμ' ἀκόρεστον οἰμώζουσα; pro τάχεις scribendum videbatur Reiskio λακείς, Froehlichio κλαίεις, Schwerdtio λάσκεις. Satis speciosae sunt illae omnes mutationes, sed neutiquam necessariae. Nam vocabula τάχεις οἰμωγὰν Ἀγαμέμνονα, in quibus viros doctos haesitavisse patet, quamvis difficillimos habeant explicatus, tamen sic sunt comparata, ut omnia ad liquidum possint perducī. Multum sane negotii illa vocabula ob verbum τάχεις facessivere. Cuius verbi de significato interpretum alii aliter senserunt. Furerunt enim, qui scholiastae annotanti, τί τήκη τῆ ἀκορέστῃ οἰμωγῇ; astipulati τάχεις passive usurpatum esse asseverarent. In hac sententia fuere Hermannus, qui Tricliniana explanatione probata τάχεις οἰμωγὰν idem esse atque τάχεις οἰμώζουσα, unde Ἀγαμέμνονα aptum esset, persuasum habebat, et Weckleinus Hermanni explicationi suffragatus. Neque vero quisquam exemplis probaverit τάχεις Graecos passive usurpare solitos esse: nisi vero quis putat τήκειν passive intellegendum esse in his exemplis: Od. 19, 263 μηδέ τι θυμὸν τῆκε, πόσιν γόοισα. Eur. Fr. 900 τήκω τάλαιναν καρδίαν ὄρρωδιᾶ. Quare ut credam eos verum vidisse animum inducere non possum. Iam vero Kruegero τάχεις οἰμωγὰν ita a Sophocle videtur scriptum esse, ut sententia esset τήκομένη οἰμώζεις. Sed quomodo talis interpretatio illorum verborum admitti possit, nullo modo perspicī potest. Quid? quod alii, ut Brunckius, ex οἰμωγὰν pendere volunt Ἀγαμέμνονα? Quod mirabile non minus dictu quam cogitatu, ita ut iure sententia eorum iam dudum explosa sit. Iam explicant nonnulli in hunc modum, ut, cum τάκειν transitive dici negent, Ἀγαμέμνονα ex ea notione pendere statuunt, in quam verba τίνα τάχεις ὠδ' ἀκόρεστον οἰμωγὰν coaluisse videantur: τί ὠδ' ἀκορέστως οἰμώζεις; et comparant quidem Trach. v. 339 τί δ' ἔστι; τοῦ με τήδ' ἐφίστασαι βᾶσιν; Οἰμωγὰν igitur, quoniam hunc versum cum illo comparant, pro accusativo verbali accipere videntur. Quorum opinionem nihil valere in aperto est: nam procul dubio vehementer mirandum est, quod, cum τάχεις transitive usurpatum esse infitentur, tamen fieri potuisse opinantur, ut ad τάχεις οἰμωγὰν accusativus transitivus adiungeretur. Nam in promptu manifestumque est, ita ut res disputatione non egeat, non minus eos contra grammaticorum leges ac praecepta.

peccare, qui verbo *τάξεις* intransitive accepto Ἀγαμέμνονα cum locutione *οἰωγᾶν* *τήκειν*, quam qui a verbo *ἐφίστασθαι* transitivam vim abiudicantes tamen *ἐφίστασαι βάσιν* cum *μέ* copulari posse contendunt. Itaque confugiendum est ad aliam loci, quo pauci difficiliores sunt, enucleationem. Missos faciamus nunc ceteros interpretes, Schneidewinum, Wolffium, Wunderum, qui multo verius quam ii, quorum mentionem fecimus, de loco nostro iudicaverunt: quorum explicationes, ubi quid nobis ipsis de difficillimis verbis statuendum videatur, exponemus, laudabimus aut, si necesse videbitur, reiciemus. Sed ut iam, quae nostra sit sententia, promamus, mihi persuasissimum est poetam verbo *τάξεις* transitive ita usum esse, ut *οἰωγᾶν* e *τάξεις* aptum esset, et vocabula *οἰωγᾶν* *τάξεις* in unam notionem confusa accusativum Ἀγαμέμνονα poni paterentur. Quae sententia quorsum spectet, quo facilius intellegatur, et verbi *τάξεις* significationem et totam verborum constructionem accuratius examinabimus. Et vero prudenter, quantum nobis perspicere licet, Wunderus voces *τάξεις οἰωγᾶν*, quibus maxima certe inest difficultas, ita explicare conatur, ut a locutione *δάκρυα* *τήκειν* repetat. Quam locutionem nusquam, quod sciam, litteris custoditam tamen apud Graecos usitatam fuisse pro certo habuerim. Significat autem *τήκειν* proprie liquefacere sive, ut bene Wunderus, facere ut aliquid fluat. Hinc efficitur, ut *δάκρυα* *τήκειν*, proprie lacrimas liquefacere, nihil sit aliud nisi ‚facere, ut lacrimae fluant‘ sive ‚lacrimas fundere‘, Germanice ‚Thränen hervorbringen, so dass sie dahinfließen‘, ‚Thränen vergiessen‘. Et rectissime Wunderus et Schneidewinus, ut *δάκρυα* *τήκειν* dici potuisse ita, ut esset ‚lacrimas fundere (effundere)‘ comprobarent, his verhis, quae scripta sunt apud Sophoclem ipsum, usi sunt: Trach. 847 ἡ πρὸς ἄδινδῶν γλωφᾶν τέγγει δακρῶν ἄγρην. Oed. Tyr. 1279 μέλας ἄμβρος γαλάζης ἐτέγγετο. Namque cum *τήκειν* si minus ex eadem stirpe ortum, at simili notione sit atque *τέγγειν*: quin Graeci, ut *τέγγειν*, sic etiam *τήκειν* transtulerint et ‚δάκρυα *τήκειν*‘ dixerint, vix potest dubitari, quamvis obloquatur Kvičala. Qui ea, quae modo attulimus, exempla idonea non duxit, quorum verba cum nostro loco compararentur: et mirum sane videtur fecisse, si *τέγγειν* non modo ‚benetzen‘, sed etiam ‚vergiessen‘ significare obtinuit. Cuius iudicio quid mirabilius esse potest, siquidem illam verbi *τέγγειν* notionem, si a loco, qui est in Trach. 847, ipso discesseris, nullo omnino testimonio exemplo comprobare poteris? Quamobrem explodendum est et exsibilandum, quod Kvičala ad reiciendam eorum sententiam profert, qui *δάκρυα* *τήκειν* in Graecorum usu fuisse affirmant. Quae cum ita sint, non puto quemquam amplius de locutione *τήκειν* *δάκρυα* dubitare posse. Cum vero *οἰωγᾶν*, si cum *δάκρυα* comparamus, notio, ut ita dicam, generalis sit, illud cave dubites, quin *οἰωγᾶν* *τήκειν*, ‚Weheklagen schmelzen lassen, i. e. Weheklagen unter Thränenströmen hervorbringen‘, cum a Graecis usurpatum sit tum a Sophocle, amatore illo audacis cuiusdam dictionis, qui ne audacibus quidem translationibus imaginibusque abstinuisse putandus est, usurpari potuerit. Iam vero Arnoldius (Sophokl. Rettung. p. 4) non male comparat illa: ‚lacrimas fundere‘, ‚sonos fundere‘: quae meo quidem iudicio vel plurimum valent ad defendendam non minus quam ad interpretandam lectionem omnium librorum *τάξεις οἰωγᾶν*. Nihil igitur restat nisi ut exponamus, quemadmodum accusativus Ἀγαμέμνονα explicandus videatur. Pendet autem Ἀγαμέμνονα a notione ‚lamentandi sive deplorandi (οἰμώζειν)‘ in verbis *οἰωγᾶν* *τάξεις* latente. Itaque verba τὸν ἀεὶ *τάξεις* ἀχόρεστον *οἰωγᾶν* Ἀγαμέμνονα Germanice reddenda sunt sic: warum beklagst du — unter Thränenströmen — immer so unersättlich den Agamemnon? non, ut permulti volunt: warum willst du dich unersättlich verzehren in ewigen Klagen um den Agamemnon? Mira autem mehercule dixit Nauckius, cum verba Trach. 50 sqq.

κατειδόν σε Ἡράκλειον ἔξοδον ὁδύρματα γομφήνην eadem ratione constructa esse contendit atque ὁμωγὰν τάξεις Ἀγαμέμνονα: ibi enim γὰσθαι cum duobus accusativis coniunctum est ita, ut alter obiecti locum obtineat, alter verbalis, quem dicunt, accusativus sit. Ceterum notandum est, quod hoc loco substantivum a poëta ad periphrasim adhibitum habet appositum: sed hoc (ἀκόρεστον) quasi adverbii vim recipit, ut, quod ad sententiam attinet, nihil differat ab ἀκορέστως. Alia igitur esset ratio verborum εὐμαθὲς ὄμμα θήσεται: Tr. 614, si εὐμαθὲς, ut Hermannus vult, substantivo ὄμμα attributum esset: nam eo loco εὐμαθὲς nullo modo pro adverbio (εὐμαθῶς) accipi potest. Cfr. supra quae ad Tr. 614 annotavimus.

Ai. 191 sq. μὴ μὴ μ' ἀνάξ, ἔθ' ὠδ' ἐφάλοισ κλισίαις  
ὄμμα ἔχων κακὰν φάτιν ἄρη.

Hac in lectione omnes libri consentiunt, nisi quod apographa nonnulla pro ἄρη exhibent ἄρη. Locus est difficillimus et paene conclamatus. Audiamus primum interpretationem, quam scholia offerunt: μὴ μὴ μ' ἀνάξ. τὸ πλήρες μὴ μὴ μοι ὁ δὲ νοῦς εἰ δὲ πλάσσουν ταῦτα, καὶ οὐκ ἀληθεῖα συνέδρασας, μηκέτι κρυπτόμενος ἐν ταῖς ἐφάλοισ κλισίαις κακὴν φάτιν ἄρη καὶ περιποιήσῃ, ἀλλὰ προελθὼν δεῖξον τὰ λογοποιούμενα. Scholiastam secuti priores editores, ut Wunderus, μ' pro dativo acceperunt. Sed iure Hermannus μ' accusativum esse monet, quod μοι ante brevem vocalem non elidatur. Morstadtio, cui Nauckius et Rauchensteinius (Jahrb. für class. Phil. 1873, p. 582) assensi sunt, μ', i. e. μέ, ita in suspicionem venit, ut pronomen vitiosum atque mutandum esse suspicaretur. At Morstadtii opinatio veri speciem habet perexiguam. Nam, quantum video, pronomen μέ hoc loco omnino non potest deesse. Chorus enim in se trahit opprobrium, id quod satis declarant versus 172 sqq. ἡ ῥά σε Ταυροπόλα Διὸς Ἄρτεμις — ὦ μεγάλα φάτις, ὦ μάτερ αἰσχρόνας ἐμᾶς — ὄρμασε πανδάμους ἐπὶ βοῦς ἀγελαίας. Ac ne in accusativo quidem pronominis e phrasi κακὰν φάτιν ἄρη apto haerendum est. Recte igitur Hermannus μ' (μέ) servandum esse censuit. Neque vero potest probari id Hermanni interpretamentum, quo locutionem κακὰν φάτιν ἄρη ita ortam esse statuitur, ut duae locutiones μὴ κακὰν φάτιν ἄρη et μὴ με κακὰν φάτιν φημίσης, confunderentur. Talem enim locutionum confusionem a Graeco sermone alienissimam esse vix ulla indiget mentione. Neque in obscuro causa posita est, qua factum est, ut Hermannus talem interpretandi rationem admitti posse putaret: eum enim hanc ob causam id fecisse certum est, quod ἄρη nisi reflexiva significatione dici non potuisse opinatus est. Sed constat Sophoclem, ut activum pro medio, sic etiam medium haud raro pro activo vix ullo discrimine usurpasse. De hoc poëtae more optime Schambachius<sup>1</sup>: Sophocles, quae eximia eius virtus est, cum medium genus libere ac praeter vulgarem usum usurparet, id studuit, ut colore aliquo orationem ornaret; sed nobis ut interpretando artem et consilium poëtae assequamur, saepe non contingit, cum praecipue quantum soli consuetudini, qua fit interdum, ut certo genere usurpatum certam significationem accipiat vocabulum,tribuendum sit, vix dignoscatur; idque maxime valet in medium genus, quod saepissime admodum levi discrimine ab activo discernitur et nobis, ut quorum lingua eo genere careat, alieni obscurique quid videtur habere. Ita Ai. v. 647 κρύπτεται medium pro activo κρύπτει dictum praebet, Trach. v. 103 ποθομένα pro ποθούσα, Ai. v. 5 μετρούμενον pro μετρούντα. Etiam in versu οἶαν μ' ἄρ' ἔθου λώβαν medium τίθεσθαι ad reflexivam significationem revocari non posse supra vidimus. Cfr. annot. ad Trach.

1. Sophocles qua ratione vocabulorum significationes mutet atque variet. Gött. 1867.

v. 996. His rebus, si quid video, hoc quoque loco mediam formam nihil differre ab activa ἄρχης eo magis pro explorato affirmaverim, quod verbum αἰρεσθαι etiam Trach. v. 1255 ἀγ' ἐγκονεῖτ', αἰρεσθε activa significatione usurpatum esse haud difficile est ad cognoscendum. Iam vero accuratius quaerendum est, quomodo illud κακὰν φάτιν ἀρχή με intellegendum sit. Primum igitur, ut id quod volumus consequamur, quid αἰρεσθαι hoc loco valeat, definiamus. Neque dubitandum est, quin αἰρεσθαι tralate ita dictum sit, ut ,excitare', ,parare' significet. Similiter vim excitandi habet activum αἰρεῖν in Ant. v. 418 χθονός τυφώς ἀείρας σκηπτόν; reflexive vero ,sibi parare' medium αἰρεσθαι significat Oed. Col. 460 τῆδε τῆ πόλει μέγαν σωτήρ' ἀρεῖσθε, τοῖς δ' ἐμοῖς ἐχθροῖς πόνους. Harum rerum ratione habita nostro quoque loco αἰρεσθαι nihil aliud esse nisi ,excitare' sive ,parare' censeo, ut κακὰν φάτιν αἰρεσθαι proprie sit ,adversum rumorem excitare'. Totam autem locutionem Sophocles cum accusativo μέ posuit ad sensum eius phrasid, quae animo eius obversata est: εἰς κακὰν φάτιν βάλῃς, i. e. bringe in übles Gerede. Cf. Matthiaeus, gr. gr. p. 1305. Quamquam igitur hoc loco nullum verbum reperitur, pro quo phrasid illa substituta esse dicatur, locutio tamen transitiva, cuius vice illa fungitur, praesto est. Et quidem poëta κακὰν φάτιν αἰρεσθαι cum obiecti accusativo eo facilius coniungere potuit propter verba κακὰν φάτιν ipsa, quae idem fere sunt atque κακολογίαν sive, ut verbo utamur, κακῶς λέγειν, quod cum accusativo solet construi.

His locis, de quibus exposuimus, liceat mihi adicere illum, qui est in Ant. vv. 361 sq., quem Escherus Trawinskio duce iure mihi videtur huc rettulisse:

Ἄιδαν μόνον  
φεῦξιν οὐκ ἐπάξεται.

Codex optimus haec praebet: Ἄιδα μόνον (μόνω a. rec. m.) φεῦξιν οὐκ ἐπάξεται. Lectionem traditam falsam esse satis superque ab interpretibus demonstratum est. Loci sanatio variis coniecturis tentata est: Schneidewinus pro ἐπάξεται coniecit ἐπάσεται, Rauchensteinius ἐπαρχέσει, Meinekius ἐπεύξεται, Seyffertus διδάξεται; Trawinskios pro genetivo Ἄιδα scripsit accusativum Ἄιδαν, ut versus hunc in modum restitueret: Ἄιδαν μόνον φεῦξιν οὐκ ἐπάξεται. E quibus coniecturis ea, quam Trawinskios unius litterae correctione locum emendans protulit, longe optima mihi videtur esse. Qua emendatione recepta verba poëtae facillimum habent explicatum. Est enim φεῦξιν ἐπάξεται nihil aliud nisi φεῦξεται, cuius vicem illa phrasid obtinet. Construitur autem φεῦξιν ἐπάξεται ut simplex verbum φεῦξεται, quamobrem accusativum Ἄιδαν rectissime se habere apertum est.

Venio nunc ad illos locos, qui quoniam iis, de quibus scripsimus, primo obtutu similes videntur, a nonnullis interpretibus falso huc relati sunt. De his quoque me uberius atque fusions disputaturum esse pollicitus temporis angustiis cogor cursim breviterque eos attingere. Sed incident fortasse tempora, ut alio loco tractentur, quae hic desiderantur.

Sed iam ad singula exempla aggrediamur. De quibus satis habebimus verbo monuisse.


Phil. 687 sqq. τὸδε θαῦμ' ἔχει με, πῶς ποτε πανδάκρυτον οὕτω βιοτὰν κατέσχευεν. Errant, qui τὸδε pro accusativo accipiunt, quasi pendeat e notione verbi θαυμάζω, cuius vices phrasid ,θαῦμ' ἔχει με' sustineat. Τὸδε est nominativus et ad θαῦμα pertinet. Oed. Col. 779 ὅτ' οὐδέν ἢ χάριν χάριν φέροι. Falsum sentiunt, qui χάριν φέρεῖν in unam notionem ,χαρίζεσθαι' coalescere dicunt, ut οὐδέν sit accusativus verbalis sive obiecti interioris. Οὐδέν adverbialiter positum significat ,in keiner Beziehung', ,gar nicht'. Oed. Col. 1496 sq. ὁ γὰρ ξένος σε καὶ πόλισμα καὶ φίλους ἐπάξισι

δικαίαν χάριν παρασχέιν παθών. Quo in loco sunt, qui accusativos σέ et πόλισμα et φίλους e vocabulis χάριν παρασχέιν, quae vicaria esse videantur verbi ἀντεσσεργετέιν, aptos esse velint. Quod nullo modo concedi potest. Nam verba per anticipationem quandam inter se coniuncta sunt: ποῆτα enim cum scribere vellet, ὁ γὰρ ξένος ἐπαξιοῖ δικαίαν χάριν καὶ σοὶ καὶ πόλισματι καὶ φίλοις παρασχέιν· sententiam aliter conformans dativos σοί, πόλισματι, φίλοις in principali enuntiato posuit et e verbo ἐπαξιοῖ aptos reddidit. Iam duo loci afferendi sunt, qui vitio aliquo laborant: Oed. Col. 113 σιγήσομαι τε καὶ σὺ μ' ἐξ ὁδοῦ πῶδα κρύψον κατ' ἄλσος. Perperam iudicarunt, qui, Euripideum illud ποῖ μ' ὑπεξάγεις πῶδα simile esse rati, πῶδα κρύπτειν periphrasim verbi, ἐκκομίζειν· efficere putaverunt. Locus enim certe corruptus est. E coniecturis maxime probabilis mihi videtur illa, quam Keckius (Progr. Schlesw. 1865) fecit, Nauckius recepit: σιγήσομαι τε καὶ σὺ μ' ἐκποδῶν ὁδοῦ κρύψον κατ' ἄλσος. Oed. Col. 277 sq. καὶ μὴ θεοὺς τιμῶντες, εἴτα τοὺς θεοὺς μοῖραν ποιείσθε μηδαμῶς. Schaeferus et Hermannus μοῖραν ποιείσθε pro ἔν τινι μοίρᾳ ἔχετε dictum ideoque cum accusativo constructum esse arbitrantur. Sed tantum abest, ut probem sententiam eorum, ut eam maxime impugnandam censeam, praesertim cum μοῖραν ποιείσθε nusquam legatur nisi in Triclinianis libris, optimi libri sine ulla variatione haec praebeant: καὶ μὴ θεοὺς τιμῶντες εἴτα τοὺς θεοὺς μοίραις ποιείσθε μηδαμῶς.

Denique dicendum nobis est de verbis, ad quae substantiva eiusdem originis aut similis significationis in quarto casu posita et accusativi transitivi adiciuntur, ut ἐγράφατό με ταύτην τὴν γραφήν (Plat. Apol. 19, a); τὴν ἐν Μαραθῶνι μάχην τοὺς βαρβάρους ἐνίκησεν (Aeschin. 3, 181). Verba tali modo cum duplici accusativo copulata quamvis multum differant a verbis periphrasi adhibitis, ut λῶβην τιθεσθαί τινα: tamen haec duo genera admirabilem in modum inter se mixta sunt. Sic a Nauckio verba El. 122 sq. τήκειν οἰωγήν Ἀγαμέμνονα cum verbis Trach. 50 γοᾶσθαι πολλά ὁδύρματα τὴν ἔξοδον comparata sunt. Quod ut recte fecerit vereor. Nam inter, πολλά ὁδύρματα γοᾶσθαι τὴν ἔξοδον· et, τήκειν οἰωγήν Ἀγαμέμνονα· hoc maxime interest, quod, cum, τήκειν οἰωγήν· idem significet quod simplici verbo οἰώζειν dici potest, ideoque cum accusativo Ἀγαμέμνονα iungatur; ex verbo γοᾶσθαι, cui quasi adverbialiter ad vim verbi augendam et definiendam ὁδύρματα additur, accusativus obiecti ἔξοδον aptus est. Praeterea aliquid interest inter hos locos propterea, quod in altero substantivum (οἰωγήν) omnino non potest deesse, in altero substantivum ὁδύρματα, si deesset, vix desideraretur. Ob id ipsum autem, quod constructiones verborum tali modo commiscuntur, necesse esse videtur breviter disputari de Trach. versu 50 et locis similibus. — Ex innumerabilibus scriptorum Graecorum exemplis intellegitur verbis et transitivis et intransitivis accusativum substantivi ad eandem originem pertinentis adiungi, praesertim si substantivum additamentum habeat: velut Soph. Phil. 59 μέγα ἔχθος ἐχθαίρειν; Phil. 173 ἀγρίαν νόσον νοσεῖν. Quod dicendi genus usitatissimum fuit. Neque raro accidit, ut cum verbo praeter illum accusativum, quem verbalem (immanentem; obiecti interioris; paratacticum; figuram etymologicam) nominant, etiam accusativus obiecti sive transitivus coniungeretur. Sophoclis exempla, quae huc pertinent, haec sunt: El. 1034 οὐδ' αὖ τοσοῦτον ἔχθος ἐχθαίρω σ' ἐγώ. Trach. 628 προσδέγματ' αὐτὴν ὡς ἐδεξάμην φίλα (Wunderus). Ant. 1199 sqq. καὶ τὸν μὲν λούσαντες ἀγρόν λουτρόν. Iam ad verbum pro substantivo eiusdem originis substantivum similis cognataeque significationis adicitur. Verbum tali modo cum substantivo connexum etiam accusativum obiecti poni patitur: Trach. 49 sqq. πολλά μὲν σ' ἐγὼ κατεῖδον ἦδη πανδάρατ' ὁδύρματα τὴν Ἡράκλειον ἔξοδον γοωμένην: ‚Viele Wehklagen sah ich dich um des Herakles Auszug jammern‘



(Curtius § 402, A. 3). Saepissime autem factum est, ut cum verbo pro substantivo eiusdem stirpis iungeretur adiectivum aut substantivum, quod, si positum esset substantivum ab eadem stirpe ortum, ad hoc definiendum adiectum esset. Verbum cum tali accusativo coniunctum etiam accusativum obiecti asciscere potest. Huius rei exempla in Sophoclis carminibus per multa leguntur. Hoc loco illa tantummodo afferam, quae cum iis commixta sunt, quae supra tractavimus. Sunt autem haec: Oed. R. 339 sq. τίς γάρ τοιαῦτ' ἂν οὐκ ἂν ὀργίζοιτ' ἔπη κλύων, ἃ νῦν σὺ τήνδ' ἀτιμάζεις πόλιν; Verba ἔπη ἀτιμάζεις nihil aliud sunt nisi ἐπῶν ἀτιμίαν ἀτιμάζεις. Accusativus πόλιν ex ἀτιμάζεις pendet. Ajax 1107 τὰ σέμν' ἔπη κόλαζ' ἐκείνους. Ἐπη κόλαζε breviter dictum est pro ἐπῶν κόλασιν κόλαζε. Ἐκείνους est accusativus obiecti e κόλαζε aptus. Trach. 339 τί δ' ἔστι; τοῦ με τήνδ' ἐφίστασαι βάσιν; Βάσιν et μέ ad verbum ἐφίστασαι ita addita sunt, ut βάσιν accusativus verbalis (Schwarz Progr. Weimar 1863), μέ accusativus transitivus sit. De accusativo μέ verbo ἐφίστασαι iuncto cf. Buttm. gr. gr. § 133 Anm. 11 a, § 130 Anm. 2 not. Similiter verbum ἐπιβαίνειν cum accusativo construitur hoc loco: Ai. 144 σὲ τὸν ἵππομανῆ λευμῶν ἐπιβάντ'.



The first part of the paper is devoted to a general  
 discussion of the problem. It is shown that the  
 problem is equivalent to the problem of finding  
 the minimum of a certain functional. This  
 functional is defined as follows:

$$J(u) = \int_{\Omega} |\nabla u|^2 dx + \int_{\Omega} f(x) u dx$$

where  $\Omega$  is the domain of interest,  $\nabla$  is the gradient operator, and  $f(x)$  is a given function. The minimum of this functional is attained at a function  $u$  which satisfies the boundary value problem

$$\Delta u = -f(x) \text{ in } \Omega, \quad u = 0 \text{ on } \partial\Omega$$

where  $\Delta$  is the Laplace operator and  $\partial\Omega$  is the boundary of  $\Omega$ . The existence and uniqueness of the solution of this problem is guaranteed by the theory of elliptic partial differential equations.

In the second part of the paper, the problem is solved numerically. The domain  $\Omega$  is discretized by a finite difference grid. The resulting problem is then solved by the method of steepest descent. The convergence of the method is guaranteed by the theory of optimization algorithms. The numerical results show that the method converges rapidly to the minimum of the functional.

The third part of the paper is devoted to a discussion of the accuracy of the numerical method. It is shown that the error of the method is of order  $O(h^2)$ , where  $h$  is the size of the grid. This means that the error decreases quadratically as the grid is refined.

Finally, the paper concludes with a discussion of the applications of the method. The method can be used to solve a wide variety of problems in physics and engineering. For example, it can be used to find the shape of a membrane under a given load, or to find the optimal design of a structure.